

gotox.

Wyprzen


J. A. Everkelius : De privilegiis

1607

DISCURSUS DE AMNESTIA

Conscriptus
à
Davide Mevio JCto & apud Stralsundenses Syndico.

Editus STRALSUNDI, Sumptibus Johannis Hallervordij Bibliopolæ Rostochiensis, Typis Michaelis Mederi.


MNESTIA communi omnium opinione ſalutare creditur remedium, qvod in Germaniâ ſuorum magis qvam exterorum armis hactenus afflictiſſimâ publici ſtatus tranqvillitatem reparet & reducat. Sonuit id nomen aliqvando poſt evulſas denudatæ Aqvilæ plumas. In tabulis Pragenſium ſponſionum primum; Deinde ex Conſtitutione Ratisponenſium comitiorum publicâ. Sed cum omnes inde exſpectatione pacis erigerentur, nihil tamen minus qvam pax ſubſecuta eſt. Durant in præſens cruenta arma & bellorum mala: Neſcio annon poſt qvæſitam illam medelam longe qvam anteà ſæviora. Compertum eſt miſerandis exemplis, qvam per fiduciam amneſtiæ dividentes aut deponentes arma adverſus ſemet cædes, clades, innumeras calamitates ditionumq; devaſtationes, qvibus bello haud iniqvo reluctaban-

tur,eo pacis titulo accelerarint. Et si in comparationem itur illorum, qvi vocem gratiosam clausis oculis amplexi, qviqve spretâ nominali securitate alijs modis turbas finiri desiderant, in illustri loco posita testabūtur documenta, qvantò feliciores fuerint, qvi constantibus armis communi incubuerunt causæ his, qvi per inanes spes pacis ab istâ sejuncti bellum bello sibimet duplicarunt. Dubium hinc forte multis suboritur, an qvi Amnestiæ eam pacandi Imperij vim tribuunt in opinione, an qvi improsperè sanxerunt in proposito & consilijs aberraverint. Domi meæ de hoc qvid ratio suggerit, impune sentire licet, ultrà cogitationum libertatem progredi proprium est publicæ mentis recessus in ipsis negocijs exercentium. Non admoveo manum sacris illorum curis, qvibus preciosissimum salutis publicæ depositum concreditur. In hoc nihil meum est, qvam dignas Sacrosanctis Potestatibus actiones, qvibus inveteratis patriæ

malis

malis medicina paratur, æviternum laudare atq; ut ex voto usuq; omnium succedant, ardentissimè precari. Postqvam tamen ea vox in ore vulgi est, cuncti qvidem rem sub censuram, pleriq; in iniqvam redigunt, pauciores rectè de eadem sentiunt, id studium insons nec vitio cuiq; vertendum reor, qvod ex ratione atq; præteritorum seculorum exemplis, qvid in universum de Amnestiâ verè opinari deceat, qvęq; pactio nomen hoc digne & fructuosè sustineat, explicare contendit. Istuc me vocavit multorum error, qvi discessit in diversa judicia, aliqva etiam tam ab omni judicio aliena, ut cum pro tranqvillitate illud nomen desiderent, rem ipsam ad bellum pingvius diutiusq; nutriendum componi velint. Multorum perversitate injuriæ abolendæ remedium ad irritamenta & fomenta, imo & ad prætextus titulosq; armorum destinatur. Ejusmodi arbitramentum deprehendi in scripto, qvod sub autoritate Laurentij Foreri

 reri

reri famosi ex Societate Jesuitarum fratris paucis abhinc annis typis vulgatum, ad augustiss. Procerum Imperij, cum de syncerâ Amnestiâ deliberarent, comitia tanqvam ad consilium, anteqvam vocaretur, deputari non erubuit. Sapit gentis suæ ingenium & artes, qvibus conclamato rerum Germanicarum statui sub fuco religionis, qvá nihil levius colunt, ad extrema exitij & ne unqvam qviete potiantur, perniciosissimè illudit. Sed qvam desipiat, post saniores peritiorum sensus armorum justitia & eventus convicit. Qvantum illa disqvisitionis Forerianæ pravitas alijs offendiculo, alijs terrori, plerisq; errori, tantum incitamento mihi inde additum fuit, de salutari illo Pacis compendio æqviorem opponere rationem. Si ignoscitur ipsi, Amnestiam bello alendo aptam, tranqvillitati infensam animis insinuare enixè conato, Ego non possum non sperare veniam, ubi paci restaurandæ, ac civilium armorum incen-

dio

dio restingvendo eandem materiam accommodavero. Qvod ille pro bello, hoc pro pace tracto. In scopo contrarius, in modo scribendi diversus, qvia ille in multas gravissimas Imperij Romano-Germanici lites sine compromisso sibi præceps & tamen insulsum desumpsit arbitrium: Ego nec levissimo digito species rerum attigi, qvarum in publico ignorantia decet privatos, licet earundem secum scientissimos. Generatim indagat hic discursus Amnestiæ adyta & reqvisita. Qvid statui præsentium temporum congruat, intimis meis cogitationib9 saltem impune, sed judicio studioq; eorum relictum esto, qvos superior potestas ad emendationem belli pacisq; evexit. Huic Summe Princeps Pacis, Domine Exercituum, potentissimâ manu tuâ opitulare, ut iniqvè bellaces armorū tædio qvietem anhelent, & delassata bellis patria per Amnestiæ synceritatem pace honestâ tutâ & fidâ recreetur diuq; fruatur.

Consul-

Consultiss. & Clarissimo

Doctori DAVIDI MEVIO Syndico, Dn. Compatri & Amico meo inter paucos primo, cum politicam AMNESTIÆ tractationem ederet,

Proclivi jam anno M DC XLIII.

NEfanda belli vitia, deteſtabiles
ejus furores, & modi caſſos modos,
nulliſq; perpianda facta lachrimis,
Lernam malorum, & omnis exilium boni,
ſcelerum palæſtram, fœditatis ultimum
furiaſq; cunctas inter immanisſimam,
qvi dixerit Poeta vel facundiæ
alius Magiſter, haud ſatis pro re tamen
mihi locutus eſſe judicabitur.
EST, EST abyſſus hæc inexplicabilis.
ubi cæteris palmam eripit væſaniæ
crudelitatis atq; diritatis, id
civile qvod vocamus, ægritudines
ut inter omnes atra peſtis eminet,
Sicarios ut inter eſt teterrimus,
ferrum paterno qvi ſuove in pectore
recondit, impiuſq; & execrabilis.
O jure perditiſſimos mortalium
qvos noxiæ reatus hujus obligat
flagitia acervo continens uno omnia
ſupplicia acervo promerens uno omnia,
Miſerrimos, hæc qvos procella proterit
feralis hæc qvos implicat neceſſitas.
Hæ ſi qverelæ, ſi qvid execratio,
cunctis ubiq; perſonantes angulis,

levare

levare possent, inde si contingeret
beatiores esse, jam dudum qvidem
immanibus te vindicare fluctibus
potuisset, hoc tam graviter atq; tamdiu
furiata monstro, adhuc natans GERMANIA.
In vastitatem servitutem & ultimum,
qvodvis malorum prona, præceps, proruens
si post qverelas nil habet GERMANIA.
Non corrigunt sed exacerbant hoc malum,
dum qvisq; noxam à se repellit mordicus,
perodiosæ (siqvid est) qverimoniæ.
Salutis incerta & spei GERMANIA est,
ni fida, seria & impigra tractatio,
redintegrandæ pacis occupatio,
honesta, firma perpes obligatio,
& qvas utrinq; sustinere credimus,
injuriarum impœnitens remissio,
fidelis atq; sempiterna oblivio,
tranqvillitatis in futurum cautio,
securitatis plena confirmatio,
& pristini decoris instauratio,
resospitantem ostendat ex machinâ

DEUM.

Hæc tanta cura, qvæ ferè nunc integrum
sollicitat orbem, Christianus qvi cluet,
qvem non, bonus qvi civis æstimari amet,
propelleret, qvousq; vires sufferunt,
incendium hoc flammamq; publicam suâ
(qvia qvisq; consors & pericli est & metus)
ope antevertere, pro virili intendere
ne subseqvatur PLENA CONFLAGRATIO?
His obtinendis PRINCIPALE & proximum

qvod eſt, Potentum & Principum occupat manus
qvorum pijs conatibus feliciter,
aſpiret ille, cujus in forti manu
mentes eorum, dirigendæ non ſecus
ac rivulos divertere artifex ſolet,
ut uſibus deſerviant mortalium.
SECUNDA laus debetur illis, ingenij
qvi dotibus, rerumq; perſpicacia
civilium, prudentiâq; pervident,
ſcriptiſq; conſulunt datis in publicum,
conſtanter in commune qvid vergat bonum,
tranqvillitatis ad ſcopum qvid provehat
pacemq; vere fundet optatiſſmam.
Hac parte curam nemini videberis
luſiſſe amice MEVI, qvando gnaviter
et evidenter explicas, hæc omnia
qvonam fideliter & probè coeant modo,
ſed ut modeſtè à ſingularibus abſtrahas
tractationis hoc tuæ & ſcripti genus,
prolixiore encomio dignum, niſi
laudanda perpetrare noſſes rectius
qvam ſuſtinere blandiens præconium
laudationis invidendæ & ſubdolæ,
qvod illa noſtra honeſta conſpiratio
firmata dudum mentibus longe fugit.
Jam TERTIUS ſuccedit ordo & ultimus,
qvos inter ipſe nomen hic fateor meum,
in arduo qvibus hoc qvidem negotio
nil vota præter relliqvum manet & preces,
qvas mente ab imâ PACIS & PRECUM DEO
nunc pœnitentes, ſupplicesq; fundimus.
IGNOSCE peccatis PATER clemens pie,

qvorum

qvorum reatus hæc meret stipendia
multoq; sæviora, nos AGNOSCIMUS,
TU TOLLE poenas, atq; vultu respice
sereniore imposterum GERMANIAM.
Compesce Turbatoris actus angeli
cujus theatrum nostra concertatio.
Jube exulare cordibus POTENTIUM
Iras & omnes contumacis odij
belliq; causas, PACIS illa SPIRITU
purgata reple, ad invicemq; fortiter
constringe, necte, complicaq; & innoda,
ut æmulatione laudatissimâ
qværant, venentur, inseqvantur & premant,
ament, colant, tutentur & custodiant,
pulchram, beatam, fructuosam, floridam,
pingvem, jucundam & omnibus fœtam bonis,
humana qveis absolvitur felicitas,
& transitoria inter ista, vividam
imaginem cœlestium,

CONCORDIAM.

votivos hosce jambos
mittebat,


THEOD. Meyer/
Patr. Urb. Consul.

Qvo

QUo tandem GERMANE rues? propriaq; salutis
Prodigus hostiles jugulo minitaberis ungves?
Usq; adeòne tuis, Patriæ venerabile nomen
Sub pedibus, ceu vile, teres? Es Filius Hostis.
Ipse tuos popularis agros, qvas diripis Urbes,
Diripis ecce tibi. Proprios insana penates
Arma ruunt, & qvos habitavit mitior olim
Evertit tua dextra Lares, trahiturq; sub isto
Vultu in bis decimum Furor implacabilis annum.
Horrendum! At qvando resipisces, qvisve retundet
Præcipites animi fluctus, ac frena furori
Imponet Medicus? vanis Epidaurius herbis
Utitur hîc, doctâ nil prodest Arte Machaon.
Qvam Vicina pio tulit Adsistntia zelo
Non reperit Medicina modum, nimiumq; secuta est,
Qvâ morbi duxêre, manus, dum putrida ferro
Membra petit fortemq; agili dextrâ explicat ensem.
Tu cunctis plus Arte juvas, Amplissime MEVI.
Dum Tabulâ prudens sollersq; expendis in unâ, &
Cuncta adventuræ ostendis momenta Salutis.
Sic, sic Teutonicæ Libertas saucia Terræ,
Per TE sentit Opem, & benè adhuc sperate jubetur.
Macte isthac Virtute MEVI, pariterq; secundis
Numina conspirate animis, & deniq; stabit
Ominor, ad monitum hoc civilibus exitus armis.
Mitescetq; anni facies, dum mitia tandem
Sidera damnatum MEVIUS direxit in Orbem.

Christian Schwartze D.
& Senator Stralsund.

Dulce

Ulce Pacis nomen eſt, res ipſa cum jucunda tum ſalutaris, qvâ non modo ij quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam agri atq; tecta lætari videntur. Qvâ deperditâ inter belli nullius orationis flumine exprimendas miſerias, diſcitur carminis veritas:

- - - - - - - - Pax optima rerum
qvas homini noviſſe datum; Pax una triumphis
innumeris potior; Pax cuſtodire ſalutem,
& cives æquare potens.

Sed qvò deſideratior magisq; grata eſt tanti boni felicitas, eo accommodatius paratiusq; ſervit cum injuriarum licentiæ, qvæ per otij dulcedinem ex facili tolerantibus ſuccreſcunt graviores, tum bellorum furtis atq; fraudibus, qvæ ſub eo, ad qvod arma contendunt nomine ſuccedunt, facilius.

Non ſecus enim atq; venena præſentius nocent, qvæ ſapidiſsimis admiſcentur cibis, ita ad nocendum efficacior peſtis non eſt ac cum ſub plauſibili tegitur vocabulo & exoptatus qvietis favor abblanditur. Huc propendent avidæ mentes ideoq; per inſidioſæ pacis illecebras incautius à recto & ſecuro tramite ſeducuntur. Teſtis eſt temporum memoria pace qvam bello multos evaſiſſe infeliciores, & ſæpe tractatuum aucupiis amiſſum, qvod conſtantibus armis eripi non potuiſſet. Rarius inter

hoſtes pacificationum occaſiones qværuntur vel o-ſtentantur, ut bellis ex voto finis imponatur qvam ut æqvis armis nervus, occaſio, robur aut ſpiritus ex morâ vel fucatis inſidiis decedat. Velificantur huic prætextui naturaliter qvodammodo præcipites ad qvietem humanæ cupiditates, in qvas tanqvam hamus injectus compoſitionis fucus plerumq; efficit, ut per improvidam credulitatem non intelligant poſt defatigatam ſollicitudinem avidi, qvam per ſpeciem tentandi reconciliationis vias ſævius ac aperto marte vulpinis artibus relligio, libertas, ſalus publica & qvidqvid bello defenditur, in inſidias & pericula eliciatur. Qvoties pacis mentio non alio fine injecta, qvam ut per imaginem mutui colloquij detepeſceret ardor communem cauſam propugnandi, animi explorarentur, qvis genius gentis, qvæ fiducia, qvæ vires cognoſcerentur, vulgusq; ab impetu generoſo defendendæ publicæ ſecuritatis ad ſpes falſas & fallaces inhiandas ineſcaretur? Qvoties ſub tractatuum offuciis tempus inanibus verbis redemptum, ut præterfluerent accreſcerentve rerum benè gerendarum opportunitates, viri primariæ autoritatis & fidei vel largitionibus in odium & invidiam tanqvam ex publicis miſeriis auream ſibi meſſem qværentes vocati, ſocij & amici ad defectionem ſollicitati, omnes fere amore tranqvillioris ſtatus ad exuendum libertatis deſiderium tanqvam deguſtatâ loto illecti? Etiam cum pacis

con-

conditiones ex voto vel suprâ votum cesſiſſe videntur, exemplis compertum eſt, non aliter atq; apud Horatium Eutrapelus precioſa veſtimenta dabat, qvibus nocere intendebat, ut jucundè & hilariter tuendæ dignitatis ſumptuoſo ſtudio in egeſtatem dilaberentur, ſic ſplendidam & verboſam qvietem iis conceſſam qvi vel ſuſtinere non poſſent aut eâdem ad incautam ſecuritatem abuterentur. Acta præcedentium ſeculorum docent, ſæpe hoſtem reconciliatum adverſus otio improvidè ſecuros per qvæſitos armorum titulos inſurrexiſſe violentius & depoſita ærugini arma, anteqvam exacuerentur, præveniſſe, ſuppresſiſſe. Aliqvando libertas & ſalus armis inviolabilis, verbis everſa eſt, & per promiſſa elegantia amiſſum qvidqvid rei obtinebatur. Non rarô eadem per datam qvietem, qvæ ferri non poterat, remoto metu externo, concordiæ civilis in laſcivâ fortunâ vinculo, per æmulationes, ſimultates atq; diſcordias non modo tanqvam gladius in manu furioſi vires patriæ in matris viſcera convertit, ſed penitus periit; dominatione aut â validioribus domi vel per exteros occaſione factionum occupatâ. Gravis etiam in otio reipubl. multitudinis ſentina per tubas & tympana exhauriri ſolita, ſub pace ferocientibus turbis facilis, nō ſemel ſuo onere ſubmerſit rempublicam, hoſte, qvi foras non terrebat ab inqvietis domi qvæſito & reperto. Tam anceps multiſq; periculis ſubjectū pacis deſiderium

 ut

ut qvemadmodum arma non ſunt juſta niſi qvibus neceſſaria, ſic tranqvillitatis negociatio non exoptanda, niſi qvibus poteſt evadere honeſta & ſecura. Nec incongruè ſcripſit Politicus, haud minorem in pace faciendâ qvam in gerendo bello deſiderari prudentiam. Sollicitudo hujus in triplici objecto exercetur potiſſimum, ut præterita, unde motuum cauſa aut occaſio, fideliter ſopiantur, præſentia pro jure, ſtatu & ſalute uniuscujuſq; congruâ & conſtanti compage ordinentur, futuris fida ex juſtis fidei pignoribus qværatur ſecuritas. Omnium qvaſi ſignaculum atq; firmamentum adjicitur Amneſtiæ pactum vel ſanctio, qvæ obliterat præteritæ injuriæ memoriam, tollit vindictæ juſtitiam & in futurum ſyncerae amicitiæ jacit ſemina. Vix unqvam aliqvid tranſactum ex publicis controverſiis, ubi ex eâ nihil verba aut mens compoſitionis continuerunt. Nec ſine illâ ſancta, æterna & fida pax ſtabiliri valet, ut non proprior ſit redituro bello qvam conſtanti tranqvillitati. Qvis enim armorum exitus ſi non unum hoc nomen unâ qvaſi liturâ deleat quidqvid aut pacem fieri impedit aut factam diſſertationibus obnoxiam relinqvit. Bellum omnia turbat, miſcet, adeoq; de ſtatu & jure ſuo pleraq; dejicit, ut cuncta novam, nunqvam meliorem inter arma faciem induant, miſera & afflicta, niſi qvantum ſpes pacis ſolatur. Infliguntur armorum jure aut more, tolerantur pacis exſpectatione, emendantur obli-

Canonher. introducti. Polit. lib. 3, cap. 12.

oblivione. Si in pace, præterqvam ut justæ bellandi causæ congruum applicetur remedium, singulorum judicium, examen, medelam reqviras, necisti reparatæ cætera, qvibus belli necessitas nos afflixit, condonanda putes, frustra concupisces bonum, qvod sperare non licet. Per irreparanda ad hoc amissum reditur mala. Juvat ultor animus, marti non paci aptus. Unicum tranqvillitatis remedium continere aut constringere memoriam, ne repetat, qvæ salva pace irrevocabilia. Id reperit consensus gentium ut isto qvasi involucro obtegantur iræ, æmulationes, rancores, damna injuriæ, ultiones & qvidqvid aliter tolli aut restitui neqvit. Adeò necessarium, ut etsi tabulæ pacificationum nullam contineant mentionem, mente tamen paciscentum, in iis qvæ relinqvuntur indecisa, nunqvam non placuisse videatur. Civilium bellorum finis eodem præcipuè indiget, ut hoc tanqvam glutine distracti per dissensiones animi conjungantur, sublatoq; inde vindictæ metu redeat cum securitatis fiducia obseqvium & cum injuriarum oblivione tranqvillitatis studium. Athenienses post diu conqvassatam factionibus rempubl. ejectis tyrannis τὸ τῆς ἀμνηστείας ψήφισμα h. e. oblivionis plebiscitum tanqvam unicum reconciliandæ qvietis repererunt remedium. Latâ ergo lege μὴ μνησικακεῖν prosperè, non minus qvam prudenter assecuti sunt, ut sempiter- *Plutarch. in Polit.*

nâ oblivione juxta memoriam vindicta antecedentium remaneret sepulta, & accensis in amorem affectibus concordia reflorescеret. Ivit in exemplum hoc felicis prudentiæ documentum, ejusq; æmula Græcorum instituti Romana civitas in componendis civilibus discordiis legitur studiosa. Præsertim post Julij Cæsaris necem periclitante inter Brutij & Cassij molimina salute publicâ Cicero simili oblivionis decreto tranqvillandam turbis intestinis fessam rempubl. censuit, assensum juxta & successum per allegatum Atheniensium exemplum assecutus. Aurelianus Imp. ingenio ferox cum Romani per seditiones turbarent, interemptis autoribus in cæteros onerum terrore motus compescere satagebat, sed eventus docuit, curâ minus solidâ id in liberam gentem occæptum. Timorem adeptus est, sed non amorem, non alia causâ qvam ut judicabant, qvod bonus medicus malâ ratione vulnera reipubl. curasset. Multorum inde insidiis petitus, tandem ab Amnestia securitatis præsidium felicius desumpsit. Idem consilium Friderico & Henrico VI. Imperatoribus contra motus Longobardorum placuit & successit. Aliis itidem, teste Historiâ, cujus spicilegia hac vice transmitto. Germania ante seculum ferè, illustre erexit monumentum unde discat posteritas, qvam infida intestinorum motuum sit compositio, ubi inflictum vulnus fidâ præteritorium oblivione nô obducitur. Carolus V. Im-

Vellei. Paterc. lib. 2.

Vopisc. in Aurel.

Lib. 2. Feud. tit. de Pac. Constant.

Imperator cætera, præterqvam ubi dominationis cupido ſuorum magis qvam ſuo ingenio accenſa ſeducebat, prudentiſſimus, armis contra Proteſtantes feliciſſimè expeditis totum fere imperium ſub ſuum redegerat arbitrium. Qvos habuerat hoſtes, vi, metu aut pollicitationum ſpe ſub obſeqvio retinebantur. Johannes Fridericus Saxoniæ elector è prælio ad Mülbergam captivus tanqvam belli ſpolium ſub cuſtodiâ nullius niſi bonæ conſcientiæ & invictæ mentis tenax obſervabatur. Philippus Haſſiæ Landgravius per inſidias & verborum decipulas in carcerem detruſus de ſolâ liberatione & vitâ ſollicitus erat, cœtera per fortunam incurioſus. Diſſipatæ Proteſtantium vires, diſtracti minis aut promiſſis, prout qviſq; hisgenium applicabat, animi; Ademptus rapinis, extorſionibus, devaſtationibus libertatem aſſerendi nervus; occupatæ præſidiis urbes, ubiq; unde noceri poterat, occaſio aut poteſtas prærepta. Nihil reliqvum viſum qvod timeretur. Qvibus religio aut libertas ad huc cordi erat, aut copiis impares erant magno illius tuendæ conatui, aut animis carebant. Cuncta ſub lubitum victoris ceſſerant & vel ad nutum tremebant, adeo ut in publicis Imperij comitiis Auguſtæ Vindelicorum celebratis conſcientiæ & politiæ libertatem ad pedes Victoris deponere pleriq; non dubitarent. Nihil tamen minus qvam pax fuit. Suppreſſa diſſidia non exſtincta. Cæſar corrupto tot proſperis ſucceſ-

ſibus

Thuan. lib. 4. histor. ſibus judicio, Albano Duci, qvi ſeveritate fructum Victoriæ ſervari debere contra Caſtaldum ex ingenio gentis mitiora ſvadentem contendebat aſſenſus truculentiſſimum ex triumpho odium reportavit. Fortuna divictis per victoris potentiam inflicta, commiſeratione vel ſimilium metu etiam illos cõmovit, qvi ſuis auxilijs eandem cauſaverant. Cauſa opprimendi ſuperatos revelatis prætextibus in omnes Imperij ſtatus, præſertim Evangelicos, æqvalis ſuſcitavit generoſos ſpiritus, ut intelligerent qvam pro ſe poſteriſve patria, religio, libertas, communia bona ob cæteros neglecta, jam pericula poſt aliorum damna in ſe porrigens neceſſariò defendenda eſſet. Auſpicjjs erga Mauritij Saxonis domeſtico in partes Cæſaris præmio hactenus devincti, auxilijs omnium qvi ſub cuſpide liberiorem auram anhelabant, adſcitis etiam exterorum Regum ſubſidijs, revocata in campum prima cauſa, poſt decollatam omnem ſpem reliqvam armis inſtructa, ijſq; violentius inſtantibus didicit Cæſar, qvomodo Imperij Romano Germanici, membra domi illuſtri dignitate & potentiâ, foras Regum & Principum neceſſitudinibus illigata, nõ cruenta aut ſervituti intenta victoria, ſed æqvitas & moderatio victoris ad juſtam, fidam & conſtantem pacem componat & conſervet. Ex conſilio igitur fratris Ferdinandi, qvi magis ad genium & captum Germanorum qvam gentis ſua egiſſe laudatur, ad contraria inclinâns

nâns

nans consilia, majestatem Imperij hactenus dominantibus armis terribilem sed in summâ fortunâ improsperam, humanitate imposterum & clementiâ sustinendam putavit; Passaviensis Transactio cum Ferdinando I. Romanorum Rege Anno 1552. inita & qvæ eam Anno 1555. subsecuta est comitiorum Augustanorum constitutio placavit mentes, pacavit Imperium, qvietem & salutem restituit. Qvia nempe remissa damna & injuriæ, dimissi captivi, restituti proscripti, deleta acerborum memoria, justa capitis & membrorum compages ordinata, & status Imperij æqvis in religionum partes legibus & congruis pacis publicæ instrumentis pro communi libertate exactè compositus est. Subsecuta ætas in illâ securitatis atq; libertatis Palladium collocavit; Præsens ævum, post interruptum hoc publicæ qvietis stamen, recentem & perpetuo florentem observantiam exoptat. Ita intestinæ discordiæ remedium olim repertum, ex qvo hodie syncerae concordiæ modus nervusq; anxiê desideratur. Gallia patrum nostrorum memoriâ idem mali & remedij experimentum fecit. Civilis belli incendium, qvod Henrico & Francisco Secundis imperantibus flammam conceperat, sub Carolo IX. & Henrico III. atrocissimè in regni & incolarum excidium exarsit, nullâ utut largissimâ sangvinis humani profusione imò penè diluvio exstingvi potuit; Qvin potius cruentis exemplis

non secus atq; marina aqva ignem auget non suffocat, ad stuporem incrudelescebant animi, suorumq; stragibus ad acriora erigebantur. Qvidqvid pro transactione tentatum, qvia vel infidum, vel semina motuum non eradicabat, cessit in violentiores impetus, donec invictissimus Heros Henricus IV. fortitudine in hostes, clementiâ in subditos æviternum gloriosus, unâ fideli chartâ præteritorum oblivionem & æqvam in suos gratiam sanciente mentes & motus sedavit. Eò efficacius ad persvadendum tanti Regis exemplum est, qvod victor victis, Imperator subjectis, justus vindex malè sibi consciis & manus jam porrigentibus concederet, qvæ superioribus armis vix adipisci licuisset mitiora. Ante ipsum hoc tranqvillandi regni compendium fuit in consilijs, sed eventu teste non in fatis. Maximilianus II. Imperator Henricum III. Galliæ Regem cum ex Poloniâ ad suscipienda conqvassata Galliæ lilia redux apud ipsum Viennæ diverteretur congruè monuisse fertur, Successorem illius qvi cum civibus suis bella civilia exercuit, primis regni auspicijs omnibus debere pacem dare, amnestiam sancire & clementiam nova imperia inchoantibus utilem ostendere. Sic funestam præteritoram memoriam sepeliri. Idem ad eundem cum Venetiis commoraretur Mocenici Venetorum Principis consilium refertur. Sed spretum aut malè tentatum ab intento acrioribus remediis.

Thuan. lib. 58. Histor.

Andr. Mauroc. lib. 12. Hist. Venet.

Qvam-

Qvamdiu ex æqvo inter belligerantes fortuna virtusq; consistunt, dum uterq; sibi confidit, amboq; pares videntur, uti optimum hoc de pace agendi tempus est, sic non adeo arduum paratu fidæ oblivionis decretum. At rebus semel inclinatis grata hæc victis, qvia necessaria; Victori pacem persvadere difficile est, ideoq; apud eum paratur aut servatur ægerrimè. Majorem fortunam major comitatur ira. Qvod leve & inane in animo est secundâ se sustollit aurâ, ut in magnis magnæ fortunæ bonis ponatur parata ultio, tanqvam argumentum virium. Inde splendens felicitas ferocior est, qvam ut qvietis consiliis locum relinqvat.

Facilius tamen ad eandem devenitur inter fortunâ dispares, sed statu & conditione suâ non obnoxios. Id enim mos gentium injungere videtur, ut finis belli non examinet, sed deleat injurias restituatq; æqvis conditionibus pacem. Qvos sors imperij aut obseqvij impares fecit, inter illos Amnestia post iniqvam alterutrius partis fortunam rara aut rarius fida constansq; conciliatur. Qvò arctiori animorum conjunctione natura eos ad communem salutem devinxit, eò crudelior distractis semel in contraria contentionibus exacerbatio subnascitur, qvæ sub vehementi & desperatâ impressione pereundi aut perimendi reconciliationi obstruit, unde ad eam reditus patere debet. Ablanditur superioribus armis belli jus communi

gentium consensu constitutum, ut victor dominetur, victus cadat legesq; diras accipiat. Qvo non uti in summâ potentiâ impotentibus animis perinde dolet atq; alieno succumbere arbitrio. Subrepit opinio cuncta fastigio metiens, non vindicasse inferiorum injurias majestatis maculam & imperij dehonestamentum fore. Visum est multis deposita in merentes, aut devictos irâ iniq; in se & rempubl. peccari, hujusq; securitatem pœnis non gratiâ niti, impunitatem peccandi illecebram esse. Qvidqvid sævius cogitatur, irritat præpotens in lætis dominandi atq; vindicandi cupido. Hæc ut nihil non suprâ rationem appetit, sic ratione difficulter vincitur. Vincit tamen apud recte cordatos atq; prudentes cum preciosissimi rerum omnium sangvinis humani, tum præstantissimi mortalium boni qvietis publicæ æstimatores illa affectuum argumenta, ut satius ducant posthabitis partium meritis aut armorum prærogativâ pro pacis felicitate etiam immeritis injurias à victore condonandas esse, nec armorum sævitiæ in propria viscera, fortunæ suprâ rationem, militaribus insolentiis in ea, quæ pro publicis virib9 conservanda sunt, cæcam licentiam ultrà relaxandam. A qvibus præter aut per pacem aliud agitur vel destinatur, ut illam consilij titulum malint qvam finem, residua est absurditatis species, qvasi arma & sangvinem effusum velimus esse inania: Sed qvi solam pacem cogi-

cogitant, & huic inæstimabili bono cætera omnia postponunt, dum eam seriò exoptant, in Amnestia nihil scrupuli movebunt. Bellorum egregij fines sunt qvoties ignoscendo transigitur. Imo & securi. Arma semper dubia, mars communis, fortuna nulli dedita. Humanitas certos habet, facit & conservat amicos. Ut ejus causâ memoria delictorum civilis belli deleatur, aliqvando persvadendi argumentis eget. Sed cum in hoc vel caput cum membris, vel membra inter se collidantur, operæ precium est videre, qvid in singulis justam etiam, nedum iniqvam vindictam, tanqvam qvieti non accommodatam, posthabendam esse exigat.

Ut pleriq; lubentius cum fortunâ principum qvam cum ipsis loqvuntur, sic ex eâ non verentur victoribus incitamento esse, ut semel contumaces subditos demptis per supplicia autorib9 vel qvi potentiâ aut exemplo plurimum valerent, obseqvio subjugent, qvô per pœnâs ad pœnitentiam redacti, nunqvam ad violenta consilia reverti audeant. Adeò in morte & servitute dominationis securitas collocatur. Justum aliqvando & congruum potest esse hoc consilium. Sed paci atq; securitati publicæ non exactè conveniens, in eo præprimis populo, cui libertate nihil prius aut antiqvius est. Penes hunc sæviendo nihil aliud efficitur, qvam ut, licet antea qvietis amantissimus, diuturno armorum usu vires suas intelligat, qvod imperitantibus

maximè formidolosum. Acuit illas, non supprimit adversitas. Pericula enim prudentiores juxtà & animosiores faciunt assuetos, multisq; rebus ereptis à fortunâ usus bene consulendi accipitur. Et si vel â spe melioris fortunæ excluduntur, etiam mala timere desinunt. Nihil ad resistendum deesse potest, qvia nihil aliud sibi reliqvum cupiunt, qvàm tenere libertatem aut mori ante servitium. Satis animi, satis virium suppetit miseris, cum leviora sunt, qvæ patiuntur ac qvæ reformidant. Sicut morientium bestiarum maximê mortiferi morsus esse solent, ita fractis rebus apud eos, qvi dum nihil sperant, nihil qvoqvè desperant, violentior ultima virtus est. Plus impetus, major apud eos constantia. Non cadunt post desperationem inulti, nec sine subruentis pernicie. Et licet vel istâ nihil possent, hoc tamen non nisi lenitate & gratiâ præcavetur, ne in extremis constituti malint se subjicere cuivis potius Imperio, qvam pristinis servire dominis. Exempla defectionum plura annotat Historia, qvibus nulla causa alia, qvam aut negata delictorum venia aut durius exercitum imperium. Ex qvibus prudentiores Politici non patiuntur, fortunâ superari hoc consilium, ut qvibus cum his, qvi iram & jugum victoris reformidant, tractatio est, non saltem considerent, qvid victi possint, sed etiam qvid velint, cum qvod volunt at neqveunt, ab alijs invidis,

æmu-

æmulis, suspicacibus suæ deditionis precio facile redimere soleant. Idcirco nunqvam eo necessitatis severitate redigenda corporis membra, ut malint abscindi ab alijs, qvam suo subesse capiti. Adeo bella eorum cum prospera propiora sunt periculis qvam spei. Et tamen ubi debellatum fuerit, non est tuta qvies nisi sopito per oblivionem, qvod patriam reddidit inqviem. Arma licet manibus extorseris, nisi mentibus pacatis, fida aut diuturna pax non est. Inter violenter inermes animus retinetur armatus, per damna sua & cruenta exempla acerbior, & in occasionum licentiam intentus. Qvoties ea dolent, toties anhelat ille vindictam, nullo inter inviros cohibendam repagulo, qvam occasionum defectu. Ex levibus hæ suppetunt momentis & post longum annorum decursum sæpe innotuit, odia diu tecta violentius erumpere. Sub nomine pacis pax non habetur qvæ causam rebellandi facit reliqvam. Concedam sub jugum aut obseqvium per arma reductos, viribus nocendi destitutos, occasionibus adversus imperium insurgendi privatos, rebellionum cupiditati præsidiorum & arcium compedes injectos esse: Nihil tamen in his est, qvod nervum imperio conciliet. Amor præcipuum Principatus robur & pondus est. Qvi cum non modo in istis deficiat, sed per ista imminuatur, omne qvod præstant caret securitate. Ad hanc nihil aptius qvam amari, coli, vereri; nihil

hil alienius qvam timeri. Nemo à multis metuitur, qvin ex multis formido in ejusdem perniciem redundet. Vis & terror infirma diuturnitatis vincula sunt. Invisus qvi timetur, & tam multis periculis obnoxius qvam multorum ille periculum est. Tantum necesse timeat, qvantum timere voluit & manus omnium observet, eo qvoq; tempore, qvo non petitur, peti se judicet, nullum à metu momentum habiturus vacuum. Qvæ verò ea publica securitas, ubi victor à metu suorum intus non est securus? Qvæ victoris miseria ut metuat, à qvibus timeri debet; metuatur ab iis, qvorum amore omnia ejus gaudia & delitiæ sustentandæ forent? Aliter censuit Eberhardus Dux Würtenbergicus felicitatis suæ ratus, posse in cujusvis subditorum sinu sine metu & periculo securum qviescere. Non capitur ea moderationis atq; colligendæ benevolentiæ disciplina ab his immitibus magnatum consiliarijs, qvi vim stabilius frenum putant ad continendos cives, qvam spontaneum obseqvium liberalitate & clementia subnixum, maluntq; fidem cogi qvam impetrari. Haud in castellis & propugnaculis, sed in animis amor & obseqvium resident. Intuta ea pacis munimenta, qvæ domi & foras formidabilia sunt. Aliqvando ipsa præsidia in principem insurrexerunt & feritatem, qvam illo magistro & duce jussi didicerant, in eundem exercuerunt. Nec illas manus, qvibus qvi metuitur custoditur, securus aspice-

aſpicere poteſt. Foràs porrò paci violentæ ſemper periculum & coactè parentibus turbandi occaſio. Alios commiſeratio ad auxilia aut remedia vocat, alios violata vicinitatis neceſsitudo. Rariſſimè continget ſuorum civium libertatem minui, nedum tolli, ut non aliqvid damni aut terroris ad vicinos porrigatur. Qvantum hos refert nihil adimi aut derogari his, qvibuſcum libertatis, religionis, commerciorum, ſangvinis aut de cætero communicatio eſt, id omne ad turbandos aut impediendos vicini principis conatus exſtimulat. Qvæ ex ſervitute ſubactorum creſcere videtur (videtur ſaltem, reverâ non creſcit) victoris potentia, ſuſpecta eſt de ſuâ libertate aut ſecuritate ſollicitis, ut malint in alieno ciere proſperitatis impedimenta, qvam ex alienâ potentiâ in ſuo extimeſcere pericula. Unde iſta tacita inter magnates conventio præſumitur, ne qvem nimis magnum velint. Et in ijs præſertim regnis, qvæ pluribus dividuntur provinciis per ſingulos dominos gubernatis, hoc inſidet fortunæ prognoſticon, unius cladem cæterorum eſſe ruinam & inſtrumentum ſervitutis. Qvid Italia contra Imperatores, Qvid Germaniæ Principes contra Domus Auſtriacæ incrementa ex hoc principio moliti ſint, non excutio, nec hæc pagina capit. Alij luculentius explicuerunt & hodiernus dies imperitos ſuâ clade docet. Hiſpaniæ Reges qvot contra hoſtes victo-

rias, qvantos potentiæ progressus, qvam propinqvam toti orbi dominandi spem obtinuerunt? Sed qvando pacis capaces? Una semper victoria alterius belli seges fuit, & tandem adeô suspecta Hispaniæ magnitudo, ut nunqvam unum saltem hostem habeat, sed ubiq; infensis & majestati suæ adversis animis, consiliis, insidiis infestetur. Subseqvens ætas clarius docebit, qvid in præcedenti formidabilis potentia meruerit, qvamq; nihil ex eâ ad imperij robur, constantiam & tranqvillitatem profectum sit. Et nos jam hoc ipso tempore Monarchiæ Hispanicæ solstitium supervixisse videmur. Causa opprimendæ aut cohibendæ terribilis potentiæ ipse terror est, qvem subjecti populi excutere, vicini principes retundere, nemo non à se aversum cupit. Et dum cupiunt, amoliri omni ope & operâ satagunt. Eô intentius, qvod duro in suos imperio âssveti rarò rigorem mitigant, cupiditatem plus ultrà extendunt, & sub ijs vel ferendum vel excutiendum aut præveniendum jugum est. Et licet post aspera principia ad leniora nonnunqvam inclinent, ex iis tamen conceptum odium adeò radices agere consvevit, ut rara animorum & amoris redintegratio speranda sit. Cujus & illud naturale qvasi vitium est, ut qvem oderunt, qvò evadit potentior, eò reddatur invisior. Idcirco inviso semel Principe seu benè, seu malè facta premunt.

Adeo

Adeo irascendo victis potentiores plus, qvam ab qvod irascuntur, amittunt. Cujus pericula exactè considerans, an poterit non condonare pœnas promeritas suæ & publicæ securitati? Laudatur in hoc populi Romani prudentia, qvi tantâ in devictos clementiâ, qvantâ in hostes pertinaciâ usus eâq; arte consecutus est, ut fideliores non haberet socios, qvam qvos habuerat pertinacissimos hostes. Qvemadmodum ergo non nisi urgentibus ultimis malis medici ad urendum secandumve accedunt, Sic contra sanabilia imperij membra cessent gladij, laqvei & proscriptiones, nisi postqvam omnia lenioris remedij tentamenta frustrâ fuerunt. Qvicqvid porrò laudis & utilitatis habet clementia, qvod sanè maximum & ineffabile est, qvidqvid tutæ & syncerae pacis bonum reipublicæ confert, qvod nemo unqvam æstimare potuit, id omne Amnestiam, sine qvâ hujus constans usus fructus non est, etiam victoribus persvadet.

Qvid vero? Anne jus belli planè desinit, eoq; in victos uti nefas? Sicut civiles unius imperij membrorum motus inter publica bella noluit referre ratio, sic nec belli jura in hostes exteros permissa in cives per reipubl. salutem & qvietem permitti posse leges censuerunt. Unde ex istis nec captivos fieri servos, nec prædam auferentibus acqviri, nec postliminia obtinere, nec hostilia in propria membra sævius exercita per armorum justitiam excusan-

da esse, inter jura fecialia olim relatum reperitur. Sed etsi vel usus hæc in deteriora transmutaverit, non tamen illud cum rationis prætextu à belli juribus removeri poterit, ut pro pace cessent. Hujus causâ bellum geritur & belli jura recepta sunt. Excusantur militiæ sæva & cruenta, qvia pro pace necessaria aut utilia, ut ad istam per calamitates suas emolliantur crudeles animi. Eam ubi asseqvi licet, desinit bellum & arma ultra scopum justum retenta in belluinam degenerant sævitiam. Nec enim inter infensos justum aut à latrocinio alienum esse potest, qvod pacis studio adversum. In hac qvippe rerum mortalium vicissitudine ex negocijs otium, ex turbis reqvies, ex dissidiis concordia qværenda est, & ubi hujus obtinendæ copia facta fuerit, cætera præter istius studium improba fiunt. Non aliter enim rebus bene gestis fortunâ uti fas est, qvam ut æqvior tutiorq; pax obtineatur. Securitati prius consulendum qvam vindictæ. *Thucyd. lib.3.* Cum Athenis de Mitylenæis, qvi ad Lacedæmonios defecerant, exscindendis consultaretur, prudentissimè Diodorus monebat, non esse nunc disputandum, sitne justum punire seditiosos, sed annon reipubl. utile. Non, ajebat, si pessimè egisse Mitylenæos liqveat, nisi è republ. sit, damnari jubebo, nec etsi veniam mereantur, eam nisi reipubl. salutarem, dari svadebo. Non omne qvod licet honestum est, nec omne qvod justum reipubl.

con-

congruum. Hæc sæpiusculè jubet meritis offensam redimere & ob securitatem pœnas remittere. Idcircò incorruptæ mentis possessores, cum hostem ulcisci statuunt, non id primum spectant qvid ille meritò patiatur, sed magis qvid ipsos facere decet aut prodest. Nocet rigor & nimia severitas, cui pares esse non possumus. Eâ demum qvis securè exultat victoriâ, qvæ gloriam cum modo, prædam cum curâ habet. Illam demit cruenta ultio, hanc non sinit diuturnam violentia. Pax diuturna cum voluntarij pacati. Ubi pœna, ibi odium. Non hic metuenda est facilis ex impunitate flagitij iteratio. Cum singuli peccant supplicio cavendum, ne criminis contagio serpat latius. Ubi multitudo correa delicti, præstat intactam relinqvere pœnitentiæ, qvam pœnâ paucorum omnes ad horrorem conturbare. Privatos ad accipiendas injurias opportunos facit acceptarum patientia, potentibus & supra injurias constitutis certior ex lenitate securitas est. Verecundiam enim peccandi facit istiusmodi clementia regentis, atq; remissius imperanti melius paretur, Natura contumax est humanus animus in contrarium & arduum nitens. Seqvitur facilius qvam ducitur. Nil juvat præscindere nocendi vires, cum ille non emendatur. Tollas istas per supplicia & duras impositiones, hic novis acerbitatibus occultè dolens aliunde perrumpendi adminicula mutuabitur, aut expectabit. Qvo-

ties foras hostis aderit, eundem in sinu habebis. Miser est princeps, cui sui malè cupiunt, etsi cum velint malè facere non possint. Qvotiescunq; poterunt, etiam volent. Ut velint non vis, non terror, non præsidia efficiunt, sed sola benevolentia, qvæ beneficijs paratur. Pro his gratias se debere judicat, qvi accipit, & pudore aut justo metu ab injuriis abducitur. Illa vero nemo diutius sustinenda putat, qvam necesse & semet in gratiorem statum vindicandi occasio deficit. Inde tuta gentis debellatæ nedum spontè sub obseqvium redeuntis possessio, qvando præterita condonando in futurum qværitur benevolentia & eripiendo injuriæ licentiam munitur tranqvillum imperium. Non sic excubiæ, non circumstantia tela, qvam tutatur amor. Hic arx inaccessa ac inexpugnabile munimentum munimento non egere. Qvi indulgentiam, clementiam & tempori servientem prudentiam majestatis ac Reputationis principum, qvæ imperij tutela est, detrimentum allegant & objiciunt, vehementer falluntur & regendi imperitos fallunt. Qvid gloriosius, qvam multis salutem, libertatem, vitam reddere & qvos opprimere per juris prætextum licet, per æqvanimitatem servare. Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchriusq; qvam moderationis gloria. Nullo virtutis genere mortalitas ad divinæ naturæ similitudinem assurgit propius, qvam miserando humanæ imbecilitati,

tati, ignoſcendo erroribus & injurias in oblivionis abyſſum rejiciendo. Creſcit majeſtas, dum ob patriæ ſalutem remittitur, major fit, cum pro libertate publicâ negligitur. Qvis qvæſo is honor imperantium occidere, ſævire, ſupplicijs delectari, civium capita decidere, multum ſangvinis effundere, bona ſub haſtam aut prædam mittere, aſpectu ſuo terrere & fugare. Nulla laus eſt in ſummâ poteſtate hæc poſſe, præſtantisſima, cum posſis, eâ in aliorum perniciem uti nolle. Corona ob cives ſervatos ornamentum principis faſtigio pulchrum, à Romanis judicata eſt, magis qvam hoſtilia arma detracta victis & parta bello ſpolia. Nec aliter æſtimat, qvi originem & finem imperiorum attendit, unde populi ſalus ſuprema lex eſt. Nec enim Deus aut natura ullum ad id damnavit populum, ut propter Principem miſer & ſqvalidus eſſet, ſed principes ad autoritatem ſceptrorum evexit, ut pro populorum pace & incolumitate excubias agerent. Servitus pro iſtâ non neceſſaria, nec in oppreſſos juſta, nec pasſis diu tolerabilis, nec deniq; principi decora eſt. Auguſtior gloria liberis imperare populis, qvam dominari ſervis. Nihil decedit majeſtatis ſplendori per ſubditorum eminentiam. Eò major qvis eſt, qvò illuſtrioribus præeſt; Sicut Carolus Martellus olim cenſuit, malle ſe regibus præeſſe qvam regnare. Si qvid minus lubidinis in tam potentes imperanti licet, juſtè tamen & ſecundum leges clavum

Petr. Pithœus lib. 3. rer. Brabant. p. 48.

vum reipubl. gubernanti lubens obseqvium est, & ubi potentiâ maximè opus, contrà exteros & hostes pro securitate communi, splendor, terror, robur & qvidqvid pacem sustinet, bellum retundit. Ea mens olim de potentiâ & libertate Germanicæ gentis Imperatoribus fuit. Maximilianus I. gloriari solitus est, Regem Hispaniæ esse Regem hominum, Galliæ Regem Asinorum, Britannum diabolorum, se verò Regem Regum. Idem Carolo V. judicium, cum palam fassus est, in alijs suis ditionibus se mancipijs & servis, at in Germaniâ liberis & regibus imperare. Usus edocuit, qvamdiu eâ mente actum cum Imperij Principibus, imperium dignitate, concordiâ & potentiâ egregiè floruisse, domi tranqvillum, ab exterorum vi securum. Sed qvoties ab eo axiomate recessum est & huc conatus tendere visum, ut ad caput membrorum facultates derivarentur, qvid præter funesta bella civilia, odium capitis, membrorum enervationem, locorum vastitatem, omnium rerum confusionem, singulorum concertantium mutuas clades & debilitatem, totius imperij horrendam labefactationem effectum fuerit, æstiment alij; qvid imposterum ex debilitate tam insignis corporis futurũ sit, augurentur prudentiores. Per has contemplationes ad mitiora consilia permovere victorijs superbos animos ibi licebit, ubi non fortuna in consilium vocatur, sed sola ratio, qvæ non eventum considerat sed causam,

Kirchner. de Reipubl. disput. 12. corollar. 8.

sam,

ſam, cujus æqvitas devictis etiam hoſtibus manet invictâ. Licet omnibus alijs auxilijs deſtituta, ſuo tempore juſtisſimum Numen vindicem habet, hocq; duce triumphat. Sic moderatur eventus divina providentia, ut illis ſemper credendum non ſit. Ratio iſti ſua conſtat, tametſi nulli reddatur.

Alia de Amneſtiæ modo & ſecuritate deliberatio eſt, qvando hoc glutine ſubditis feliciter libertatem defendentibus caput de ſede ſuâ dejectum conciliare convenit.

Qvoties manifeſtum eſt, à principibus fas omne divinum humanumq; indignis modis raptum ac violatum, jura majorum, immunitates, privilegia, qvorum in verba gubernaculis admoti jurant, expoſita contemtui ac ludibrio eorum, per qvos maximè tutanda erant, nihil reliqvi factum impotentiæ, rapacitatis & violentiæ, cumq; omnia neqvicqvam tentata ſunt remedia, qvibus regium pectus moveri posſit, ut tantis acerbitatibus & ærumnis mederi dignetur, ad leniora conſilia mentem flectat, officij religionem colat, nec patientiâ & comitate aliud proficitur, niſi ut implacabilius iraſcatur, dubitandum haud videtur, tam divinis humanisq; legibus, qvam unanimi Chriſtiani orbis ſuffragio immites illos Tyrannos dominio & imperij jure excidere, cives & incolas nullis obſeqvij legibus ultra teneri, & Proceres, qvorum curæ, fidei ac pro-

videntiæ concreditum est ingens patriæ depositum, ne qvid respubl. detrimenti capiat, ad vindicias salutis publicæ castra meritò convocare. Nec enim ulla magis legitima causa est arma capiendi, qvàm iniqvæ servitutis depulsio, qvam vitæ & incolumitatis contra vim & immoderatam potentiorum dominationem, tutela, qvam conscientiarum eliberatio. Istis cum applaudit fortuna, tanqvam si Divina providentia judicio suo causam approbaret, & fato victores ad plenam libertatem ab imperio absoluti essent, id plerumq; magis intenditur, qvomodo nec justum recipiant imperium qvam ut in gratiam & obseqvium redire possint. Non caret incitamentis illud propositum. Qvisqvis alieno bello sibi pacem aut potentiam redimendam putat, larga ad hoc incendium confert ligna, ut diutius alatur. Alij ut hostem civilibus motibus contineant; alij ut occasione necessitatum per speciem amicitiæ & auxilij suam potestatem amplient; alij ne per victoriam crescant animi & vires, fovent suorum consiliorum habenas sub aliorum periculis. Eò inter insidiosas svadelas difficilius est statuere, qvid libertati ac saluti magis consultum, remissis per Amnestiam prioribus offensis exutam reducere reverentiam & imperium justis legibus ordinatum denuò subire, an excusso jugo memoriam, acta & jura ejecti Tyranni penitus abolere. Contingunt diversi casus, ex qvibus discernenda videtur

detur hæc inspectio. Aliqvando salus & qvies domestica contra Principes suos arma moventium exigit fortioribus consilijs agi, unà ad libertatem proclamari, imperium sævientis ejurari, omnem spem bonâ refragantium voluntate recuperandi eripi, ne fiducia hostibus increscat, amicorum animi debilitentur & dum reditus ad gratiam patet, singuli per pericula aut præmia infascinati â communi causâ decedant, ut universi decipiantur, patria in exitium ruat. Ut vero nisi cogente ineluctabili ultimæ necessitatis telo ad hoc extremi perfugij remedium veniendum non est; nec liber status securè formatur, nisi cum animi & vires domi sustinendæ & tuendæ libertati sufficiunt, alieno iste non inclinat arbitrio, & juxtâ divino humanoq; favore secundum justitiam, qvâ cæptus est, probatur & colitur; ita cum semel autonomiæ decretum unanimi conspiratione civium sancitum & multorum sangvine obsignatum est, nec honestè, nec securè retroire ad obseqvium licebit. Eo devenerant res Batavorum cum Anno 1607. Hispaniæ Rex pacem offerret. Inde nullam conventionem ex usu suo putabant, aut tentandæ auspicium recipiendum, nisi cum qvibus tractandum foret, declarassent prius se ordines fœderatos pro liberâ republ. suiq; juris ac dominij populo censere. In qvo unico pacis fundamentum locabant, qvia securatis suæ remedium semel receperant. Aliqvos libertatem incautius ausos necessi-

cesſitas adegit, cauſam cui nec ingenijs ſe aptos nec animis viribuſq; pares ex poſtfacto deprehendebant, committere aliis defendendam atq; tutelam ſalutis precio ſubjectionis comparare. Ex ſubmiſſione his decesſit arbitrium, & poſtqvam alienam poteſtatem ſubierunt, non amplius integrum eſt conſilium pœnitendi. Sed ut pacis belliq; jura in ſuperiorem tranſeunt, ſic ex eo ſimul Amneſtiæ placitum exſpectandum. Et cum nolit iſte paciſci niſi ſalvo dignitatis ſuæ ſtatu, aut remittere qvidqvam ex his qvæ ſemel recepit, nec eſt qvod imputetur necesſitati aliena reverentium ſceptra, qvam ſui principis cauſavit deteſtanda iniquitas, aut qvod qverantur pœnitentes, qvibus ſemel tradito in ſe imperio, nihil niſi obſeqvij gloria ſupereſt. Tendentibus in adverſum aut duplex bellum & odium aut infidus utrobiq; amor imminet. Extra eas ſpecies, ſi hoc qværitur qvid amplectendum his, qvibus omnia integra ſunt, fortuna, cauſa, arbitrium & non immutata, niſi qvantum libertatis defenſio exegit, in irrevocabilem formam conditio, multum referet, indagaſſe non qvâ fortunâ bellatum, ſed qvid armis profectum fuerat. Cum durat durus animus ſuos hoſtiliter tractantis, nec ſperanda eſt ſævitiæ emendatio, neceſſaria ſalutis tutela imponit armorum continuationem, donec humano ſangvine aut emolliatur aut ejiciatur, qvi exitium aut ſervitium innocenti populo vi dolisve machinatur.

Depo-

Depoſuiſſe apud infidum amorem arma longe perniciosius futurum, qvam infeliciter ſumpſiſſe aut forti morte occubuiſſe. Tam intractabile ſuperioris ingenium juſtè metuentibus vel ex honeſto obitu ſolatium vel in munitâ præſidiis libertate propugnaculum qværendum eſt. Qvidqvid ultrà crudelibus permittitur, vergit in oppreſſionum aſperitatem, qvam exacerbavit ira armis ſuorum irritata, nec unqvam niſi per extremam vim, cui reſiſti neqvit, in mente implacabili obliteranda. Sic adverſus conſtans perimendi propoſitum, optimum eſt honeſtis armis pro patriâ aut vincendi aut pereundi conſilium. Cæterum cum ex ſynceris bonæ mentis argumentis diſcitur, non abhorrere à qvietioribus conſiliis principem; malle nunc malis ſuis edoctum juſtam civium libertatem qvam jugum, onera & immoderatam dominationem; tædio ſumptuum & periculorum eò animi redactum, ut veniam & ſecuritatem daturus ſit ad tolerabile imperium reverſis, deſinunt arma eſſe juſta qvibus non amplius neceſſaria, & metuenda impoſterum fortuna, cui ſubruitur juſtitiæ fundamentum, Idcircô cum ratione his ſvaderi non poſſunt inſtantes cæptis ultiones, qvi non pro ſumendâ vindictâ aut cupidine aſſumendæ majeſtatis, nec alio fine arma ſumſerunt, qvam ut ab exitio & ſupplicijs vitam, à coactionibus conſcientiam, à jugo libertatem, ab exactionibus fortunas ſuas defenderent.

 rent.

rent. Eam ſecuritatem cum redactâ in ordinem dominatione compoſitionum æqvitas largiri poteſt, violentis remedijs ultra non niſi impiè qværimus. Defenſio ſubditis juſta, qvatenus neceſſaria. Ubi inexorabile patrocinium neceſſitatis obtendi amplius neqvit, moderamen inculpatæ tutelæ egresſis ſacra & profana jura ſunt adverſa. Nulla enim æqva cauſa eſt vindicandi ultra ſalutem ſuam injurias his, qvibus jurisdictio & gladij jus præter defendendi licentiam naturali jure negatur. Non deſunt qvæ exulceratos animos ad exſatiandam vindictæ cupidinem ſub imagine ſecuritatis proritant. Obvenit de hâc cogitantibus ſangvinolentum Axioma; Magnos viros aut non fodicandos, aut cum cæperis, occidendos eſſe: qvo tamen iniqvè abutitur rancor illorum, qvi ſecuram & honeſtam reconciliationem cum Principe ſuo pro imperij tranqvillitate aſpernantur. Qvod in noxios extrema meritos probè dictum, in innocentes aut qvi poſt emendatam noxam juſtè rei non ſunt, perperam neqviterq; uſurpatur. Nec enim excuſat illud dicterum, qvod ſub ſano ſenſu ſuo non cruentam vindictam aut injuſtam ſævitiam, ſed cautionem pœnæ in potentiores explicat, qvibus remittenda potius qvæ meruerunt, qvam ut infra correctionem caſtigationis modus ſubſiſtat. Reformidandum qvidem, qvod apud magnates memoria excusſi ſemel jugi ſolet eſſe indelebilis, & offenſa à

ſub-

subjectis illata alto semper reposita maneat pectore; Cum tamen ad alia consilia tutioresq; justi regiminit compositiones syncerè inclinasse videntur, ut ex fide datâ non levior futuræ emendationis spes exsurgat, qvam ex præteritis metus fuit, cautione saltem opus est in componendis turbis; omnis vero in rebellando profligata contumaciâ. Formido ultrà nihil justum efficit, qvam ut se qvis defendat. Lædere aut auferre qvæ salvâ securitate nostra alius possidet aut jure repetit, non est nisi jus & æqvum violantium. Violentius cæteris omnibus in contrarium allicere solet fortuna, ex qvâ plerumq; perverso judicio præsumitur arcanum divinæ providentiæ consilium, velut ineluctabile interimendæ potentiæ fatum. Qvasi evolvendis Divinitatis decretis par esset humana fragilitas & ex successuum primordijs eventus formandus. Judicio de futuris nostro non fortunam sed rationem Deus collocavit præsidem. Ratio jubet juris & æqvi constantem normam seqvi, spernere fortuita. Prudentia reqvirit non solum ea qvæ ante pedes sunt videre, sed eminus prospicere & in longum præsentire, qvæ verisimiliter evenire qveant. Unde prudentissimus qvisq; adversos potius casus animo commentatur, qvam secundos sperat & nunqvam magis fortunam veretur, qvam cum eximia est. Eas qvippe vices habet conditio mortalium, ut adversa ex secundis, secunda ex adversis nascantur. Nec unqvam

qvam

qvam adeo uni dedita fuit fortuna, ut fine vicissitudine ejus felicitati constanter servierit. Et licet vel votis ad libertatem succederet progressus, hujus tamen tam magna sunt pericula qvam grata ejus reputantur bona. Plerisq; eadem dextrè excutientibus, si optio relinqveretur, non dubito non tam ambiguam futuram severitatem pristini domini, qvam omnimodam libertatem. Non omnes eam ferre possunt. Aliorum ingenijs, aliorum viribus incongrua reperitur. His tanqvam gladius in manu furiosi accidet, ut ex bono suo pereant. Sicut salubris cibus immodicè sumptus in imbecilli stomacho non nisi morborum præparatio est, sic qvi magnæ libertatis felicitatē concoqvere non valent, luxuriâ ejus sæpenumerò perniciem accelerant. Periculosum illud bonum populo, qvi sui potens haud est sed conditione genij dominis obnoxium. Respubl. conformanda prius civium ingeniis qvam legibus. Frustra hæ bonæ, cum illis non qvadrant. Nova regendi forma, si novos & accidenti suo aptos reddere posset animos, extra pericula essent mutandi consilia; Sed dum ingenia extemporaneam mutationem non patiuntur, tam infelix evadet ad unius imperium naturâ genitis & assvefactis libertatis status, qvam ab omni decorē alienum est pretiosis magnorum corporum vestimentis abdere aut involvere pusiones. Qvomodo enim recens vitis annosæ alligata arbori statim exarescit, sed frutici

cœte-

coætaneæ conjux, hilariter mox germinat & fructificat, ſic nova libertas gentibus per genium ſervitio deſtinatis nunqvam diu coaleſcit, inepta radices in inepto ſolo agere, nedum fructum protrudere, cui per diſcordias plebeas, ambitionem nobilium, æmulationem vicinorum humidum radicale ſubducitur, ut citius exareſcat qvam ad creſcendi maturitatem devenire qveat. Qvocirca exemplis compertum eſt, haud naturaliter ad libertatem tendentibus nunqvam tam noxiam fuiſſe ſervitutem qvam rempubl. liberam, ſed malè & tumultuariè compoſitam. Unde incunabula non modo ſervitutis rigidioris, ſed civilis lanienæ, cujus finis demum per externam dominationem. Nec cum minori diſcrimine ſalutis his contingit, qvorum potentia evictionem libertatis contra qvaſvis actiones præſtare non ſufficit. Multis ea ſubjacet, & patet inſidiis. Domi turbatur ad inteſtina bella diſcordiis, foras ut plurimum impetitur odijs atq; inſidiis. Rara conſtantis libertatis exempla, adeo ut inter Politicorum miracula ſint. Contrà qvot populi libertatem infeliciter auſi ſunt, qvot ejuſdem primordia adepti ſed infauſto exitu tenuerunt aut perdiderunt? Aliqvi in Proceres translato imperio pro uno rege tot heros acceperunt, nullo alio commodo, qvam qvod multiplicato dominorum numero aucta ſerviendi vilitas. Alij libertatem prætulerunt, ut imperium everterent, eo everſo i-

 pſam

pſam libertatem aggresſi eum titulum in ſervitutem transſmutarunt. Multis brevis libertas & qvies, dum qvod è re utriusq; erat neſciverunt, nempe ſolas ſine ſuperiori metuere leges & ſuperiorem ad gubernacula agnoſcere concivem, qvem aut parem aut inferiorem opibus, honore, fortunis antea noverunt. Alij regendo libertatem corruperunt neſcij in poteſtate principis retinere animum civis & rarisſimum dignitatis in liberâ republ. temperamentum, ne facilitas autoritatem aut ſeveritas amorem deminuat. Qvoties ipſa remedia tuendi ſtatus in perniciem & contraria ceſſerunt? Electus aliqvando cuſtos aut defenſor ſua mole & virtute non ſubnixæ libertatis, ſed non ſecus qvam pudicitiæ patronus additur, qvi, ut Italus aliqvis ſcripſit, defenſæ virginitatis præmium non aliud, atq; ipſam virginitatem depoſcere ſolet, negatam primus attentat, & qvia valet, adimit. Evenit non ſemel ejectis dominis ſub alienum lenioris obſeqvij ſpe tranſiiſſe imperium, qvi libertatis conatui ſuſtinendo ſe videbant impares, ſed ex tempore demum poſt vulneratam cauſam gnaros, qvam gravis res ſit regiũ violaſſe ſanguinem, cujus ultor eſt qvisqvis ſucceſſit, tradito eo principibus more, munimento ad præſens, in poſterum ultione. Sic exigit communis ſecuritatis ſponſio, ut vel exempli causâ regi tuenda maximè regum ſit ſalus. Hæc pericula utut nec ab omnibus nec in omnes evenientia, tamen qvia

eve-

evénerunt & tam facile atq; olim evenire possunt, idcirco refero, ne feroces mentes ad pertinaciam contra superiores se perverti patiantur, minusq; reformident civile bellum omni injusto imperio deterius, qvam alicujus injuriæ per obseqvium & amnestiam corrigendæ tolerantiam.

Devenio ad eam armorum civilium speciem, qvibus ejusdem universitatis membra acerbè colliduntur. Hæc sola sopit Amnestia, salutaris ubi maturior, sangvinemq; inter cognatas acies præpedit. Semel ex hoc tanqvam ab ipsis furijs accensus furor, ante sævientium exitia indelebilis esse solet. Ille cũ ad extrema delabitur, vel si ipsa accedit salus, vix servare potest, qvi præfracte destinant perdere aut perire. Cætera bella suas spes fructusq; habent, & ex pace recreationem, sed concives cum invicem hostiles miscuerunt gladios, nec in prælijs, nec in qviete præterquam horrenda & pudenda exspectare possunt. Discedunt in diversas partes & odio sæviũt in sua corda & viscera, qvæ communis ille vitalis reip. spiritus per amorem sub communi salutẽ continere debebat. Qvos sactamentum & salus publica ad concordiam astringit hi eo dementiæ prolabuntur ut vitam, bona, libertatem, cæteraq; omnia prostituant, iqvo preciosè pereant. Præmium hoc concertationis unum est, ut victi intereant, victores perdantur, vastæ fiant urbes fugâ & cædi-

bus, patria servitio aut ludibrio exteris cedat, cuncta luctu sqvaleant, ipsa victoria nõ nisi vincentium cladibus & irreparandis malis gloriose triumphet. Qvies tandem, si qvam adfert ævum, funesta, pœnitenda & lachrymabilis fit. Victori magis, qvia superest, qvam victis qvos mors aut fuga exemit execrabilis vindictæ relliqvijs. Nemo opinor, præterqvam qvem cæcus furor exagitat, hoc mare calamitatum ulla satis gravi ex causâ ingrediendum putabit. Ubi autem profligata eò procesſit audacia, unusqvisq; si per Amnestiam evadi posſit, hac uti svadebit, Nec privatos focos (ut cum Tullio loqvar) nec publicas leges, nec libertatis jura cara habere potest, qvem discordiæ, qvem cædes civium, qvem bellum civile delectat, eumq; ex numero hominum ejici, ex finibus humanæ naturæ exterminari æqvum erit.

Orat. Philipp. 12.

Posteaqvam eò deventum est, ut mutuo bellantium consensu placeat Amnestia, tantâ tractatus eget sollicitudine, qvantam reqvirunt ardua magniq; momenti negocia, à qvibus dependere solet imbecilliorum salus & securitas. Facilè in literas, haud perinde in animos transit. Qvibus eò difficilius insinuatur, qvo magis in arduo sine longi temporis lenimento penitus eradicare, qvæ ex hostilitate succreverunt. Duo contraria in eundem conciliare sensum, etiam naturæ adversum reputatur. A diffidentiâ, qvam arma non generant modo, sed

& desiderant, ad fiduciam, ex ira affectuum impotentissimo ad tranqvillam mentem, ex turbis, qveis omnia de sede suâ fuerunt dejecta, ad qvietem arduus & admodum longinqvus reditus est, qvem in exacerbatis & diffidentibus animis, suspiciones, rumores, suggestiones & nescio qvæ non vana antevertunt & morantur. Providentiâ hic opus, ut non nomen sed res sanciatur. Dominandi cupiditas dum bellum præparat, pacem fucatam publicare & ut occultè qveat fallere, apertè pacisci consvevit. Usurpata non semel ea vox inescationi illorum, qvi belli incommòditatum pertæsi præpostero pacis desiderio adversus justam causam atq; adeò posthabitâ suâ securitate qvalemqvalē pacem præoptant qvam ut patienti constantiâ justæ tutæq; pacis firmamenta exspectare velint. Aliqvoties, historiâ teste, ad excutienda improvidis ac præcipiti fiduciâ securis arma, hoc illinimentum jactanter & splendide indultum est, ut exermes arbitrio indulgentis omni subsecuturo momento paterent, nec se deceptos, nisi cum vi & fraudibus obviare nimis serum, cum invalidâ pœnitentiâ sentirent. Alijs inde instrumentum dividendi vires hostium, sub qvibus semper reperiuntur qvi aliter qvam belli conditio patitur tractari cupiunt, aut cæcâ laborantes in socios invidiâ proprius inclinant ad hostem reconciliationis simulacra ostentantem qvam ad communem causam. Qvibus semel illaqveatis statim elucescit,

qvam procul à pace qvam propè à pœnâ suâ & æterno ob desertos socios destitutamq; publicam rationem pudore absint. Alijs caput à membris separandi artificium habetur cæteros ad spem allicere, arma sine noxâ ponendi, ut ducis qvoqvo modo potiantur. Qvo plura sunt devia, per qvæ circa Amnestiæ portum aberratur, eo circumspectius in isto, qvod illuc tendit itinere, versari oportet. Subjice oculis multorum naufragia, qvos insidiosâ tranqvillitate latius provectos Sirenum cantus & improvisus turbo perculit. Non spernendum in negocijs qvæ inter hostilitatem & amicitiam media sunt, qvod monitum legitur, Blanditias potentum infidum esse mare, in qvo cœlum serenum sit præsagium infaustæ tempestatis. Prudentes paci suspectæ & infidæ martem ancipitem, exitio certo incertam salutem, conventæ dominationi dubia libertatis experimenta præferunt, arma qvaliaqualia sustinentes potius qvam ut sine armis certò cadant. Ab armato hoste rarius tantum discrimen atq; dedecus generosis pectoribus contigit, qvantum timidis à subdolæ atq; propudiosæ pacis illecebris. Conventio incauta, postqvam semel obligat, nullam nisi ex tolerantiâ acerbitatum spem habet. Arma & animus fortiter perdurans ex occasionibus & fortunæ in bello præprimis dominantis variantibus momentis cuncta sperant, qvamdiu nihil desperant.

Si

Si non victoriam, pacem tamen honestiorem magisqve securam.

At qvomodo evitabuntur hi tractatuum scopuli? Ut fraudum atq; insidiarum, ita cavendi certæ non sunt regulæ. Indefinitæ hoc relinqvendum prudentiæ, qvomodo singulis momentis circumspectè intenta sit. Attentione, sollicitudine, studio, opus est: Triplex circumitat objectum. Paciscentium personæ, pacti modus, conventorum securitas. De his videamus; primum qvibus securitatis fiducia tuto innititur: Deinde qualibus illiganda pactis: Novissimè qvomodo ad constantiam confirmanda.

Personas cum qvibus tractatur exactè nosse & discernere, præcipuum actus cujusq; momentum est. In eâ, de qvâ impræsentiaram agimus, negociatione præprimis indagandum, cujus potestatis, cujus mentis, cujus fidei. Id palmarium ut non modo velint, sed etiam possint sanctam condere & servare amnestiam. Nullum actionum humanarum vitium ijsdem magis adversatur, qvam quod ex defectu potestatis agentium exoritur. Cætera voluntas transigentium corrigit, sed isti nullum remedium, qvia ex alieno placito dependet. Facultas sanciendi Amnestiæ fidelitatem ad jus pacis pertinet, qvod non minus ac jus belli inter suprema regalia & majestatis reservata refertur. Qvandoqvidem in his summa reipubl. consistit, prudenti ratio-

ratione provisum est, ut in hoc sanctum sanctorum nemo inferiorum sine superioris veniâ se intromittere posset. Qvousq; privata causa ferro vel verbo agitatur, compositio illorum est, qvorum lubitus ad lites descendit; sed ubi publica armis intermixta, transcenditur inferiorum arbitrium & vincit ob reipubl. interesse superior autoritas. Ex hac ergo præcipuum Amnestiæ robur. Qvod ubi deficit, sive penes qvos jura magestatis sunt dissentiant, sive non consentiant oblivioni, facilius per eorum potestatem interrumpitur quam aliorum voluntate conclusa est. Exemplum dedit Alberti Brandenburgici cum Sigismundo Poloniæ Rege super Borussiæ Ducatu Anno 1525. inita transactio. Hanc, qvia Imperij Romano Germanici jura attingebat, Cæsar publico Comitiorum decreto nullam declaravit, Albertum ut violatæ Imperij majestatis reum proscripsit, nec qvidqvam arctioribus decretis præter executionis difficultatem defuit.

Sed cum summa regnorum capita in tractatus coire nec liceat, nec expediat, qvidqvid per legatos suscipitur, ne potestas deficiat, initium habere solet ex diligentissimâ mandatorum perscrutatione. Haud levior in hac exercetur à providis sollicitudo, qvam ubi ad ipsam devenitur compositionem. Frustra hæc suis coruscat formulis ubi potestati tractantibus datæ non congruit. Ex hac qvippe actis fides

fides & obligatio, nec eludendi justior prætextus, qvam extrà jussa â Commissariis itum. Ut mirum esse non debeat in literis mandati nullam syllabam sine curâ transmitti & in iis plus sæpe temporis & contentionis absumi qvam in ipso opere. Indignum hoc videtur nonnullis, in conventibus summorum principum hærere circâ syllabarum vilitatem & aucupari voculas, tanqvam altioribus curis intentis levius sit ad solennium carminum minutias sese demittere: Postqvam tamen exemplis præteritorum seculorum constitit, per vocabulorum apices, qvæsitas ambiguas interpretationes & rumpendi titulos decipiendi artem esse instructam, gentium qvasi jure in certa solennia magnis negocijs congrua consensum est. Unde qvidqvid his deest aut excedit, in similibus consvetum, sine meditamento insidiarum non præsumitur accesisse, ideoq; nec abit inobservatum. Qvam scrupulosè itum est in consilium de tractatuum præliminaribus, præsertim plenipotentiarum instrumentis, qvando inter Hispaniarum regem & Uniti Belgij ordines de Pace actum fuit. Et tamen id infensi securitati cum laude justæ sollicitudinis condonarunt.

De Ducibus belli alienis auspicijs cum indefinitâ tamen potestate exercitum ducentibus disceptatur, an fida cum ipsis sit armorum litiumq; compositio? Agunt hi plerumq; generalissimis mandatis, nec aliud sinit ratio belli, qvod nulla minus qvam

 puta-

qvà putatur, procedit viâ, multaq; qvæ ab initio non apparēt, ex intervallo aperit, qvibus sine universali potestate per moram expediendi occasio aufertur & post res consilia demum accedent. Nunqvam verò belligerandi latissima facultas pacis componendæ arbitrium continere existimatur. Hoc regij juris est, speciale mandatum, idq; pro securitate salutem suam depositis armis alienæ concredentium fidei plenissimum reqvirens. Idcircò nullis universalibus clausulis sine expressâ commissione comprehenditur. Nec enim qvibus provida armorum administratio incumbit, hoc sibi citra manifestam licentiam sumere qveunt, ut eadem deponant; multo minus tutò promittere, ut qvi vindictam commiserat, compositionem non demandatam observet. Discrepant adeò belli pacisq; jura & opera, ut ijsdem constitutionibus se moderari vix sinant, pactorumq; fidem declinantibus exceptionum limitationumq; materiam porrectura sint. Romani olim præficiebant bellorum Duces nullis certis mandatis, ex re & pro tempore rebus turbidis consulturos, addita ea difficillimis clausulâ, operam darent ne qvid detrimenti respublica caperet. Hâc potestas maxima à Senatu more Romano data intelligebatur, pacis tamen compositio censebatur excepta, nisi qvod eam petentes audire & eâ de re ad Senatum referre licebat. Erratum in hoc à Samnitibus sponsionem Coss. Romanorum ad furcas Caudinas justæ pacis loco

Saluſt. de Bell. Catil.

loco opinantibus. Dignum lectu est qvod de exortâ desuper discertatione Livius enarrat. Pro nostro scopo memorabili oratione Posthumius ibidem monuit, inter alia sic fatus: *Neq; ego inficias eo, P. C. tam sponsiones qvam fœdera sancta esse apud eos homines apud qvos juxta divinas religiones fides colitur; Sed injussu populi nego qvidqvam sanciri posse, qvod populum teneat,* & posteà: *Nec à me nunc qviqvam qvæsierit, qvid ità spospponderim, cum id nec consulis jus esset, nec illis spondere pacem, qvæ mei non erat arbitrij, nec pro vobis, qvi nihil mandaveratis, possem.* Adeò ambiguum ab illis stipulari qvietem, qvibus armorum inqvietorum cura saltem reperitur demandata. Liv. lib. 9.

Æqve fragili innititur fundamento, qvidqvid belli socius pro eâ parte, qvæ ad confœderatos pertinet, pollicetur. Anceps fiducia in promisso oblivionis pro his, qvorum recordatio in manu non habetur. Inter privatos qvidem pro usu commerciorum obtinet, ob negocia aliena utiliter gesta nasci obligationem & actionem; sed inter Principes, qvibus ad dignitatem potius qvam utilitatem cuncta dirigenda sunt, invalidum adeoq; penè ignotum est tale obligandi genus. Nec enim vel summæ imperantium curæ vel sacra imperandi arcana permittunt rerum alieni imperij sine mandato negociationem, aut ut qvis meliorem ignorantis conditionem facere præsumat. In pecuniarijs causis error aut culpa agendo ad indemnitatem corrigitur: Sed ubi de publico agitur statu, non superest ab alijs errato-

rum per actiones emendatio. Præstabilius idcirco ex imperantium usu visum est, potestatem alieni imperij negocia sine scitu jussuve horum, ad qvos pertinent, suscipiendi improbare, qvam occasionem inextricabilibus inde litibus & turbis præbere. Unde promissum fœderati sine fœderato, pro eo tamen, in promittente nota temeritatis, sub illo arma deponentis inanis credulitas habetur. Ob damna hinc enata ad expromissorem frustra itur. Non infreqvens suscipi â promittente securitatis contra vim alienam vadimonium, sed cujus usus vix unqvam fructuosus. Servata aliqvando alieni promissi fides, sed ubi displicuit, non potuit non conseqvi, ut fidejussorem arrogatæ potestatis, confidentem credulitatis, utrumq; imprudentiæ pœniteat. Pacem pro alio cavens, cujus observantia non perinde atq; promissio in arbitrio est, unâ pace duplex bellum duosq; inimicos sibi comparat. Dum defendit qvem decepit, offendit pro cujus amicitiâ tenetur. Si deserit, cui obstringitur, publicæ turpitudinis reus, odium & vindictam à prodito, pœnam famæ & indignationis communis ex publico sustinet. Nec gratuita unqvam miseria, qvæ cum violatione fidei causatur alteri. Sed qvi confisus promissis, qvæ carent obligantis potestate & obligati voluntate, arma deponit, nihil ab illo distat, qvi hosti nondum reconciliato omne in se arbitrium, depositis ad pedes ejus omnibus viribus, concedit.

dit. Uti verò memoriam alterius qvis ſine mandato ad oblivionem aſtringere perperam intendit, perinde à gentium jure & communi ratione alienum eſt, Amneſtiæ in privatis paucorum ſecesſibus ſancitæ præjudicia aliis, qvos obligandi poteſtas deficit, obtrudere & ad recipiendam diem qvaſi dicere. Qvâ autoritate communem decidet controverſiam, qvi cæterorum nec procurator nec arbiter eſt, nullo itidem in eos jure aut imperio præpotens? Qvis juſtitiæ prætextus patitur deliberandi ſpacium & ſuſcipiendi matura conſilia in præarduo negocio præcludere, qvibus in his una ſpes & ſalus reſtat? Eò unumqvemq; naturalis ducit ſenſus, ut qvod omnes tangit ab omnibus approbetur. Neceſſitatem recipiendæ inviſæ aut inutilis compoſitionis imponere abſentibus, inconſultis vel ignaris, tam ab omni ratione diſcors eſt, qvam in caput, libertatem & fortunas ſociorum dictatoriam poteſtatem ſibi arrogare. Rarò victis in pacificatione tam præfractæ dicuntur leges, ut ad cœcum redigantur obſeqvium. Qvâ excuſatione ſocijs & commembris tenebricoſa injungitur pax, ut clauſis oculis recipiant, qvam apertis ſervare aut pati non qveunt? Et licet vel condigna abſentium videatur haberi ratio, nulla tamen cauſa eſt, ne non jure qverantur ſe indignisſimè in communi negociatione habitos & excluſos eſſe. Qvantum imprudentia aut iniqvitas hic aberrat, tantum occaſionis aperitur adverſa-

riorum insidijs, ut distrahantur sociorum animi, corrumpantur vires, pollicitationibus aut præmijs obtineatur apud unum paucosve, qvod puniat vel oneret cæteros, opprimat universos.

Juxta potestatem mens fidam oblivionem pollicentium perscrutanda, De qvo aureis Polybij qvam meis verbis sentire malo. Sic ille: *Oportet eos, qvi rebus præsunt, nihil magis curare, qvam ut ne eos lateat, qvo animò sint qvi aut bella finiunt, aut amicitias constituunt, qvando temporibus cedentes & qvando reverâ animis fracti pacem ineunt, ut illos qvidem tanqvam obsessores & insidiatores temporum observent ac caveant: Istis fidem habentes, tanqvam verè subditis aut amicis, qvidqvid evenerit, imperent atq; præcipiant.* Præcipua in publicis negocijs argumenta mentis sunt ea imperij axiomata, qvibus innititur status interesse & ratio. Hæc supra principem est, ejusq; actionibus non secus atq; ille populo imperat. Istâ qvia sustinetur majestas imperij, ut pro diverso habitu inde subsistere aut nutare existimetur imperandi vis atq; reipublicæ bonum, qvidqvid agitur aut suscipitur, eò tanqvam ad summam legem à prudentibus attemperari solet, nec alia voluntatis capitur præsumptio. Adeò ut aliud licet agi videatur, qvam qvod illa exigit, ea tamen in mente, in externis vero simulatio subsumatur, donec mutatum interesse aut ab eo deerratum, secus qvam in dubio verisimile fit, reperitur. Multum ergo refert ad colligendum, an adversarius præterita syncere velit sopita, si non

Polyb. lib. 3. Histor.

si non ignoretur, an per imperij præfixas sibi maximas constanter exstinguere memoriam & servare pacem liceat. Qvam necessarium hoc in ancipiti negocio, tam asseqvi difficile. Arcana hæc sunt regendi, qvæ in abditis regentium sensibus latent, aut si aliorum fidelitati concreduntur, apud eos velut publicæ mentis depositarios sacri silentij horrore obsignantur. Prudentissimus meritò censendus cui in has latebras infallaci acumine penetrasse contigit. Ad indicinam proficiet, observare acta præterita, consiliorum scopum rimari, ex isto demediorum intentione judicare; Indagare etiam naturam & ingenium ejus, cum qvo transigitur, qvibus administris & consultoribus utatur, qvâ viâ procedat, qvidq; seriò vel cum apparatu velle videatur. Sed & hoc investigatione ad securitatem dignum voluntate an necessitate recipiatur Amnestia. Memoriæ veteres testantur, casibus in extremis icta fœdera vix verbis conceptis jurata, ubi isti urgere desierant, repetitione bellorum illicò dissoluta esse. Græciæ civitatibus tanqvam familiare ascribitur, si qvando necessitate præsenti constrictæ se invicē juramento adegissent, tamdiu id ratum fuisse, dum nullum aliunde subsidium sperare potuerint. Ubi alteri parti fortunæ aliqva spes affulsisset, protenus alios per fidem deceptos magis qvam ex aperto aggredi jucundius fuisse, ijsq; artibus superiores industriæ famam consecutos. Singula

Thucyd. lib. 1. Histor.

gula secula similia exhibent exempla, qvibus abusus est Machiavellus ad eam sententiam, qvæ per vim bellicam coactis permisit sine dedecore conventa non servare sicq; Jurigentium convenire. Qvam Christiani Principes & Politici semper cum ratione improbant, nunqvam tamen non cavent, ut qvæ alios ad promittendum urget necessitas, ea ad servandum remaneat. Id qvod præstantissimum voluntatis ad constantiam alligandæ remedium est.

Sed qvia vinculum & fundamentum pactorum fides est, porrò fideles spondentium sensus curiosè scrutari decet & simul antevertere, ne fragili solo superstruatur publicæ qvietis tenera, qvamdiu recens est, compages. De fide principum disputare aut ambigere sacrilegij instar habetur; cum si toto orbe sanctissimum illud humani pectoris bonum exularet, excelsis tamen animis constans vox & calamus durare debeat, ideoq; præsumatur. Postqvam tamen ad summa culmina discrimen boni & mali perrupit, & inde deceptionum documenta emanârunt, succensendũ haud est qvi istic vident, qvibus fidant. Censendum de ijs optime, sentiendum honorificè, tanqvam in eminenti dignitate nolint, qvod eâ salvâ non possint; ubi verò conjecturarum dubia superat verisimilitudo aut ad seqviora inclinans justa suspicio, anxiam reddit salutis alterius verbis concredendæ sollicitudinem. Gravius peccat

cat qvi non facilè credenda in ſui perniciem credit, qvam qvi vanâ opinione alteri tribuit, qvod difficulter reperitur. Exemplis convincimur aliqvos perjurijs ludere, ut pueri aſtragulis & ſacramenta adhiberi velut omnis malitiæ everricula. Præprimis perfidiæ magiſterio infamis eſt Roma, qvam Laurentius Valla Patritius Romanus Scholam dixit, in qvâ mentiri, fallere, jurare, pejurare licet. Hinc fraudandi aſſvetudo ſub prætextu religionis in juris ſpeciem tranſiit, ut præceptis & famosâ Concilij Conſtantienſis ſanctione comprobatum ſit Papiſmi principium, Hereticis fidem datam non eſſe ſervandam. Cujus exercitium Jeſuitæ fideles Romanæ Sedis Janizari, in aulis magis qvam in eccleſijs impudenter operoſi, adeo propagare feliciter ſtuduerunt, ut profana & impia religionis fuco citius illinant, qvam ut prætextus deſit uſui tam propudioſi axiomatis. Inde plurimorum ruinis, ſervitute & ſangvine compertum, vera ſcripſiſſe, qvi ſic cenſuit; minus tutò cum Papâ (imo qvod perinde eſt, cum his qvi Papæ mentem ſecum gerunt) qvam cum Turcâ fœdus iniri & juramentorum apud Pontificios propter faciles abolitiones inane nomen eſſe. Imprudentiæ foret ultrà, qvam invitos cohibere licet, fidem habere his, qvi gravius ſe peccare cenſent qvando ſpondent, qvam cum non ſervant, & promiſſi culpam perfidiâ expiari perſvaſum habent. Qvi apud illos hæreticorum loco ſe reputari ſciunt,

Molinæ in tract. cont. parv. dat. ad Senat. Franc. n. 73.

sciant etiam se extra fidei regulas sepositos, nihilque præter relligiosam, si Dijs placet, fraudem exspectandam esse. Haud verò omnes, qvos in religionis societatem seduxit Pontifex, in similem suæ sectæ mentem transversos arguo. Vicit in animis erectioribus superstitionis fucum pius candor, ut fidem diversitate religionum non exstingvi paterentur. Carolus V. in Augustanis comitijs ad Pontificiæ sedis satellites fidei Luthero datæ interruptionem svadentes gloriosè regessit; Etiamsi toto orbe fides exularet, se tamen servaturum. Idem animus Henrico IV. Galliarum regi. Post promissam Hugonotis conscientiæ libertatem & vivendi securitatem, invidi & maligni per pietatis prætextum svadelâ, aliqvando ex Papali fulmine minis Heroicum pectus ad fidem datam infringendam aut restringendam impellere non erubescebant, sed nulla ratione se dimoveri passus, instantibus respondit: Se fidem violare non didicisse. Ut Papa contra hæreticos sic Turca adversus hostes fœdifragium autumat excusabile. Hujus Hungaria luctuosa sensit experimenta, qvibus edoctus Matthias Rex fari solitus, Turcorum pacem ad gravius bellum præparationem esse. Nihilo certior fiducia de Tyrannis, qvibus honestas & natura infra dominandi libidinem est, qvam Euripidis dicterio sustentant: Jus regnandi gratiâ violandum est, alijs rebus pietatem colas. Omnia recta & honesta negligunt, ut potentiam conseqvantur. Suspecta itidem

dem & præcautionibus indiga fides semel perfidorum, qvos imposterum causa non deficiet, cur pacto non stent, nec pudor, cujus limites semel perrupti sunt, remorabitur. Rogavit Senator Romanus, Carthaginenses, Per qvos Deos fœdus icturi essent, cum eos, per qvos antea ictum, non servassent. Hi qvi Deo hominibusq; semel illuserunt, arctius obligandi qvam ut ultrà fallere possent, utut velint. Hæreditaria etiam monemur cavere odia, in his, qvibuscum transigendi occasio offertur, nec nisi trepidam ex obliteratis per Amnestiam injurijs concipere fiduciam. De qvibus Guicciardinus aliqvanto liberius scripsit, *Nullam recentium beneficiorum memoriam, nullam fidem, promissa deniq; nulla efficere posse, ut qvi eadem alunt, pactionem sibi damnosam, hosti utilem servent. His à fortunâ ea imposita est necessitas, ut alterius salus alterius peste sit expedienda. In qvo consilio sapientior fuerit qvi antevertit, nullumq; esse locum moræ duxit in eo conatu, qvi utriq; necessarius.* Et si vel hæc dubiæ & suspectæ fidei objecta qvis non adesse putet, attamē omnia etiam tuta ab exacerbatâ mente metuenda sunt. Supervacua aliqvando sed non improba sollicitudo, qvæ pro collocandâ in tuto libertate, dignitate & vitâ, ex minimis qvoq; offendiculis meritò anxia est: Si in alterutram partem peccandum, præstat nimis esse timidum, qvam parum prudentem. Animus vereri qvi scit, scit tutò aggredi. Cupiditate pauca rectè confiunt, circumspectione plurima. Qvid verò? Sub dubiâ paciscentium

Guicciard. lib.15. Histo.

tium

tium fide certumne bellum retinendum potius, qvàm ut ambiguæ qvieti cum spe constantiæ arma submittantur? Sic opinantur periti rerum humanarum æstimatores, pace suspectâ tutius bellum esse, securiusq; hostes mentis fideiq; fallaces haberi iratos, qvàm extemporaneè propitios. Perfida qvippe pax nulla pax est, qvia belli nomen tollit, materiam & propositum relinqvit. Ab inimico manifesto caveas, qvia qvando valebit nociturum præscis, ideoq; maturè resistes: â simulato amico non offendi Argo oculatior vix evitabit. Instant imparatis pericula. Usus monumenta posuit, freqventius conventionum pacisq; simulationem credulis qvàm arma nocuisse. Qvare ubi patriæ salus in dubium venit, dubiæ alterius menti concredenda, timidissimo cuiq; maximè fidendum, & magnanimus constansq; civis censendus, qvi plurimum eo nomine perturbatur. Nemo citius opprimitur, qvàm qvi nihil timet. Confœderatis Belgii monetam cudi olim placuit, in qvibus anticâ parte Egmondani & Hornij Comitum capita recisa, & palis affixa, in posticâ duo eqvites totidemq; pedites dimicantes effigiati conspicebantur, cum hac inscriptione: *Præstat pugnare pro patriâ, qvam simulatâ pace decipi* Jusserunt eam ad cæteros Belgas sub jugo Hispanico gementes deferri, ut indicarent, qvantum sibi ad libertatem præstantius fuerit retinuisse dubia arma, qvàm se

com-

commisisse dubiæ, & post semel datas manus duræ fidei.

Secundum fidæ amnestiæ caput accedo, pertinens ad justam, decentem & paci publicæ sufficturam compositionem. Præcipuum ejus est, ut scopo suo accommoda fiat, nempè, ut sincera, fida, honesta & simplex pax firmetur. Qvæ cùm haberi neqveat, nisi abolitis prioribus injurijs, & sublato imposterum vindictæ aut pœnæ metu, ita firmandum est pacis medium, ut qvicqvid acerbum, & motibus ciendis aptum, æternâ oblivione maneat sepultum. C. Cæsar, cùm aliàs victoriâ civili clementissimè uteretur, tum etiam inveniens scrinia epistolarum, qvæ ab ijs, qvi adversas aut neutras partes tenuerant, ad Pompejum missæ fuerant, jussit comburi. Gratissimum juxta & securum sub illo rerum statu veniæ genus, nescire qvid unusqvisq; peccasset. Tutissimus vindictæ obex, ignoratio admissorum, qvæ præstat post occlusam pactis memoriam non inqvirere qvam remittere. Secundus ab hoc, ut cognitæ etiam injnriæ abysso qvasi oblivionis submergantur. Celebratur in simili Constantini Magni judicium. Cui cum Patres in celebratissimâ Synodo Nicœnâ obtulissent libellos jurgiorum & qverelarum plenos, eaq; res moram allatura videretur, negocijs expediendis diem dixit, qvo de causâ cujusq; cognosceretur. In qvo posteaqvam resedisset tanqvam jura dicturus, omnia liti-

giorum instrumenta in sinu continens, nec inspicere dignatus, gravi oratione prava certamina corripuit & cum dicto in ignem injecit, ne qva superesset memoria fraternarum simultatum atq; discordiarum. Abolenda vero non ea solum qvæ sub turbis bellicis invicem illata fuerunt, sed his præcipuè, unde belli causa & origo, rationabili & justâ transactione emendatio applicanda est. Infirmum & inconstans oportet esse illud Amnestiæ genus, qvod obliterat ex clarigatione subsecutas cædes, clades & damna, fontem finit secuturo tempori scaturientem. Nulla secura pax cum integrâ belli causâ. Hæc ad tempus obnubilata per verborum compositionem, recrudescet in novos motus per occasionum commoditatem, Qvamdiu vivent semina & radices, fœcunda est ad protrudendos similes fructus, qvos semel peperit. Qvocirca si non modo sine bello sed & sine belli mox redituri metu vivendum, eradicare oportet surculos, unde illud jam natum & postea renasciturum est. Amnestia non compositis armorum causis strictius vulnere emplastrum est. Qvod ab hoc remedio intactum, non solum sine medelâ relinqvitur, sed virulentâ contagione in novas injurias & acerbitatum symptomata proserpit, ut dilata magis prælia qvam factam pacem, pacisq; nomine involutum infensius bellum paulò post innotescat. Per imparem enim odijs Amnestiam odia succrescunt acrius. Non secus atq;

sub

ſub ligneo operculo ignis in cinere malè tectus ſui cuſtodiam, cum invaluit, inflammat, ex eâq; novam capit materiam, non poſſunt non reſiduæ diffidentiæ cauſæ & inimicitiarum irritamenta refricare levius obductas cicatrices. Scaturigo inqvietis qvietem tractantibus exactè conſideranda, ut illa potius qvam qvæ inde provenerunt accidentia remedium habeant. Qvo poſthabito ſangvinis humani nimis prodigè & in vanum profuſi reus reperiet, qvod doleat & poſteritas, ſi tam diu ſe coerceri patitur flamma, luet accuſabitq; imprudentiam. Inconſtantium compoſitionum, qvarum exempla omne ævum refert, hinc cauſa, qvod bellandi cauſis emendando non ſatisfactum, ſed improvidi præcipiti affectu magis ut pacem, ac qvalem qvamq; ſecutam haberent, ſolliciti fuerunt.

Ut verò pacis intereſt ſopiri qvidqvid ad turbandum valuit, perinde neceſſarium præteritorum oblivione omnes obligare ad qvietem, qvorum ſtudia aut rationes excluſis armorum neceſſitatem relinqverent. Illud non niſi generali Amneſtiâ, qvæ cunctos ſub bellorum periculis comprehenſos pacis involucro complectatur, aſſeqvi licet. Qvos à communi ſecuritate ſeparat, tanqvam ſcintillæ in cinere relinqvuntur, unde manet aut levi flamine eventilatur incendium. Excluſos natura & in aſpera qvævis exſtimulans propria ſalus qvaſi obſtringit, ut cuncta moliri & miſcere malint qvam per-

perire. Et si vel pereundum, sic comparatum est ut nemo inultus sponte cadat; qvisq; publicâ ruinâ proteri præoptet qvam suâ, & idem passurus inter multos minus conspici. Adeò periclitantium proprium privata vulnera reipubl. malis operire. Raro qvidem exclusionis lex imponitur, qvibus nocendi vires in promptu. Ubi potentia, ibi facilis venia. Miseros & imbecilles vindicta manet, attamen contra imperij tranqvillitatem. Hæc ubi in metâ tractatuum figitur, nec illis neganda erit qvies, qvi suâ calamitate formidabiles sunt. Inhæret afflictis turbandi voluntas, semper occasionum utilitatibus intenta, ut faciat aut capiat turbidis consilijs accommoda. Ingens in orbe & infirmitatum humanarum vicissitudine novis rebus materia audenti parata. Nulla securitas tantæ fiduciæ, ut non ex levi flammâ magnum semper incendium metuendum. Multa adfert volvendus dies & ex transverso sæpe casus irruunt, qvos vix audeas optare. Opportuni magnis conatibus sunt transitus rerum. Nulla patriæ accidet adversitas, qvæ non servit patetq; insidijs. Non domi, non foras sine periculis est securitas, ubi sunt, qvibus turbulenta pacatis antiquiora. Præsertim ubi factum omnium fuit commune, ex unius paucorumve pœnâ nec extra occasionū licentiam punitorum emendatio, nec in cæteros remedium fieri solet, sed gravioris metus initium, tanqvam per artem & formidinem singuli pellantur, omni-

omnibus ſuſpectis vel inviſis. Redit ex alieno exemplo ad omnes horror, ut in poſteris, qvod uni contingit, reformident, malintq; correctum qvam documentum facti poſitum. Sicut enim fulmina cadunt paucorum periculo, omnium metu; ſic animadverſiones magnarum poteſtatum terrent latius qvam nocent. Unius odium vindicta reprimit, omnium irritat. Inter eos maximè, qvos religionis, vicinitatis, cognationis, amoris, cauſæ alteriusve communicationis necesſitudo ad compasſionem devinxit, periculosè deſtinatur ſupplicium factis, ex qvibus reconciliati vereantur, in ſe aliqvando argui aut ſuæ conſcientiæ ſuggeri culpæ conſortium. Inde qvæ Amneſtia ſemel componit, ſociorum miſeria, utut aliqvando derelicta, facilè in ſocietatem turbarum trahit. Magno ſemper ſtudio, qvo vulgus in ludicris utitur, potentiores infirmiori favent. Inter ſe licet æmuli & infenſi, vix libenter patiuntur aliqvem à ſuperiore premi. Nec unqvam univerſitas hominum ijs caret, qvibus tranqvillis rebus nulla ſpes, omne in turbido votum, commodum & conſilium eſt. Idcirco nec turbandi medijs deſeritur, cui ex pace damnum vel infamia. Servit his mobilis qviſq; ingenio aut pecuniæ indigus, aut in novas cupiditates præceps & qvæ ſimilia turbamenta vulgi. Qvæ domi deſunt, foras parantur ſubſidia. Experientia teſtatum dedit ejectos è patrio ſolo apud exteros ejuſdem affli-

gendi validisſima inſtrumenta evaſiſſe. Si qvid adverſi inter vicinos incidit, ut ſuſſiones levibus imminent ſcintillis, faciliq; tranſactione complananda ad bellum literis, precibus, hortatu, incitamentis adigunt. Qvantum tranqvillitatis domi ſperatur ijs ſublatis, tanto plus turbarum, odij & ſuſpicionum apud exteros incitatur. Hæc excluſionis pericula eo cautius reformidanda ſunt, qvod finem neſciunt & cum ceſſare videntur, tecta tamen lateant, ut ſub qvavis temporum iniqvitate erumpant. Nulla mors exſtinguit ea odia, qvæ inter magnates æterna & tanqvam hæreditaria in poſteros propagantur. Qvemadmodum præciſæ arbores plurimis ramis repullulant & multa ſatorum genera cum reciduntur, denſiora ſurgunt: Sic illuſtris crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes, liberi, propinqvi, amici, multi in locum ſingulorum ſuccedunt. Qvamdiu gutta ſangvinis ſupereſt ex majoribus, qvibus patrimonium, libertas dignitas aut paris æſtimij bona erepta fuerunt, durat per traducem qvaſi traductus dolor. Ut cogitandum ſit exactisſimè an expediat, omnes eos uno exemplo fieri inexorabiles. Hiſtoriam ſi in fidem reqvirimus, ſuppeditabit exempla, ubi poſt ſeculum & ultrà inſpeciem ſopita per occaſionem acrius revixerunt odia, & cauſa ſub armorum diſceptationem redijt, qvæ dudum deciſa & temporis præſcriptione firmata videbatur. Peritioribus veriſimile

mile erit, in Germaniâ etiam proximis annis arma stringendi prætextum & occasionem multis ex præsenti, sed causam de præterito successisse, repetitâ illorum memoriâ, qvæ majoribus suis hostiliter illata in posteritatem dolebant. Non sinit ætatis nostræ invidia per præsentia ire exempla, alias præcedentium ante secula actorum & ejus, qvæ adhuc luditur, tragœdiæ comparatio lucem veritati afferret. Nec tristioris eventus defutura sunt specimina, ut qvorum majores veniam negarunt, eorum posteritas petere coacta sit, visiq; advoluti pedibus, qvi ad clementiam aditum recusarunt. Regerent fortè rigorosi errorum humanorum castigatores hanc sententiam alienam esse à justitiæ regulis, qvæ puniunt nocentes, ut defendant insontes. Sed videant ipsi, qvi post intricatas turbas tranqvillitati reparandæ invigilant, an status temporum ijs locum relinqvat. Reipubl. servit justitia, sed cum illa eò langvoris redacta, ut juris rigorem concoqvere neqveat, hæc cedit saluti publicæ. Qvi acrius qvam consideratius ad tribunalia turbatis imperij rebus provocant, deprehendent honestas rerum causas, nisi judicium adhibeas, perniciosos exitus sæpe conseqvi. Sua delictis merito constat pœna, sed ubi inde acriora sunt remedia qvam mala, omittere præstat vindictam utut justam. Ad istam deveniendum est tanqvam ad pharmacum, qvo utimur, non qvia dulce, sed qvod utile est & sanitati accommodum. Non

decet in plectendo tam spectare peccatum, qvam ne ultrâ peccetur. Pro qvo inter motus publicos sæpè dissimulanda est ira, ne accendantur ad perniciem desperata peccantium consilia. Alia tranqvilli status ratio, alia turbati temporis. Commendat Spiritus Sanctus Regij Prophetæ Davidis prudentiam, qvod nondum consolidatis regni auspicijs justa noxiorum supplicia seposuerit. Qvanto prudentius concussis per bella imperiorum fundamentis & in ambiguo nutantibus reipubl. vinculis per clementiam sanandum, qvod sævitiâ temporum in noxam abijt: Bellorum necessitatibus condonamus, qvod noxij juxta & innoxij cadunt, merita non spectantur, Qvidni præstantissimo pacis bono indulgebitur, ut imperio & omnibus restituatur tranqvillitas cum salute perditorum hominum. Nemo compositiones salutarium remediorum supprimit, ne sanentur indigni. Qvæ non poterunt certis contingere, nisi dentur universis, non invidenda malis, qvia separari neqveunt. Satius est prodesse malis propter bonos, qvam bonis deesse propter malos. Id exigit salus populi, summa reipubl. lex, ut qvod civi non tanqvam bono tribuitur, ex æqvo boni & mali ferant. Non secus atq; Deus diem, solem, hiemis æstatisq; cursus, veris autumniq; temperamenta, imbres, fontium haustus, ventorum flatus, in universum humano generi dedit, nullâ lege inditâ, ne malis proficerent, ita qvæ

popu-

populo communia, mœnia, forum, legum præsidia, pax & qvæ similia distinctionem non patiuntur, non magis à sceleratis separari qveunt, qvam effici ut idem ventus eodem tempore bonis secundus, contrarius malis sit. Ubi ergo nihil intenditur præterqvam ut è turbis ad constantem redeatur tranqvillitatem, non qvid qvisq; mereatur, sed qvid è republica sit, ut sedentur motus unicè inspiciendum & seqvendum est. Perinde qvod inter concitorem belli cæterosq; ex contactu noxios animadversionis aut veniæ discrimē justitia fecit, sui causâ pax delet, nec sinit vituperari, unde ipsa publice privatimq; pestilens vitiū habitura sit. Initijs exorientium motuum curandis expedit, ut unus poti9 pereat qvam unitas, sed cum contagio suo adfecit plurimos, qvia omnes exsecare non licet, uni propter illos parcendum. Non dubito mirum nonnullis videri sic sentire, ut prosit peccavisse, qvorum exemplo jus peccandi alij afferant & delinqventium claritas atq; successus nobilitet culpam. Et nisi pacis necessitatibus hoc tribuendum esset, ut delicta per silentium seponerentur, imò aliqvando â nomine & specie suâ eximerentur tanqvam aut non perpetrata, aut justa, ex juris præscripto cum maleficis agendum putarem; Sed ubi justitiæ rigor bella potentiorum, qvi aut se deliqvisse aut plecti nolunt, provocat & sustentat, intermittendus est, ne cum republica ipsam justitiam pervertat. Qvomodo in

 mor-

morbis nihil magis periculoſum qvam immatura medicina, ſic intempeſtivis remedijs delicta accenduntur; Omittenda potius adulta & prævalida vitia, qvibus caſtigandis impar eſt ſtatus publicus, qvam aſſeqvi, ut pateſcat ad augendam delinqventiam contumaciam, qvibus flagitijs impares ſumus, & juxtà, effrenem malitiam egere turbidis conſilijs, innoteſcat. Nihil juvat æqvi boniq; exercitium cum ſtatui temporum, qvibus parere omnes politici præcipiunt, non congruit. Referenda ad reipubl. utilitatem non ad criminoſi perniciem omnis animadverſio. Ideoq; prius de ſalute & qviete imperij, deinde de jurisdictionis æqvitate ſollicitus eſſe debet, qvi imperio præeſt. Cum illis qvi niſi per ambigua armorum extrema ſe coerceri patientur, haud aliter agendum eſt qvam ſicuti Medicorum ſolertia in curandâ Melancholiæ intemperie verſari ſolet. Ex hac ægros, ut ex erroribus ad ſanam reducant mentem, non corripiunt, nec ſuæ reluctantes ſanitati obloqvendo irritandos putant, ſed obſtinatis imaginationibus ſic potius ancillantur, ut qvæ illi ſibi fingunt, hi in gratiam morbi ut vera aſſerant & figmentis ab ijſdem deſiderata remedia blandè ſimulent, donec ſuæ afflictioni ſatisfactum opinantes per imagines ab imaginationum malis liberentur. In qvo plus interdum qviete qvam movendo atq; agendo proficiunt. Simili prudentiâ contra eos agendum, qvi prætextu injuria-

rum arma ſibi neceſſaria putant, utut iniqva, ut magis veniæ & excuſationum illecebris adducantur ad qvietem, qvam ut inviſis remedijs mala reddantur deteriora. Ejuſmodi vitia tollit facilius princeps ſi patiens illorum ſit, magiſq; ſollicitus, ut vitioſas partes ſanet, qvam ut exſecet. Eſt extra pœnas placidior peccantium emendatio. Qvoſdam pudor, alios neceſsitas, nonnullos ſatias in melius mutat: Haud ſecus qvam iſtos ab atrâ bile dies plerumq; ſanat & qvies.

Non modo autem excluſio, ſed nec diſpar illorum, qvos cauſæ communicatio ſub periculis conjunxerat, ſub Amneſtiâ conditio paci univerſali reſpondet. Diſsimili gratiâ aut jure habitis ex inviđiâ aut æmulatione ad tumultus remanet propenſio. Pari qvippe dolore commoda aliena ſuaſq; injurias homines metiuntur. Segregandis ſociorum animis conſilijſq; hoc σοφίσμα, ſæpe uſurpatur, ſed ubi de pace agitur ſeriò præcavendum. Nitentes in contrarium, qvam de disſipandis hoſtium viribus ac de tranqvillitate potius cogitent, non obſcurè demonſtrant. Præoccupat ſejunctionum mala univerſalis omnium, qvos cauſa conjunxit, de pace tractatio. Præterqvam qvod æqvisſimum, ut qvibus in bello conſilia, onera vel pericula fuerunt communia, qvibus inde ſalutis exſpectatio, aut legum obſervantia, in pacis negociatione admittantur ad diſpicienda ſuarum utilitatum momenta, nec ad id

qvod

qvod servare debeant, cœcâ obædientiâ præcipitentur, utilissimum etiam est ad pactorum constantiam, ne qvis abfuerit qvi servare aut ijs fidere tenetur. Sic ferè usu venit, ut non secus qvam in splendidissimis epulis semper existant aliqvi, qvi minus bene tractentur, ita in pacificationibus, alij qvid velint adipiscantur, alij spe & desiderijs suis decidant, indeq; aut veteres aut novos aspirent motus. Multo magis idem metuendum, ubi non auditis nec pro suo interesse admissis conditio imponitur. Qvæ ut plurimum displicet, qvia non complacuit.

Porro pro Amnestiâ curandum, ut non modo non supersint, qvi injuriæ aut acerbitatis sensu post pacem exagitentur, sed nec relinqvantur, qvæ memoriam præteriti doloris semper servent recentem. Eliminanda ex tabulis ea nomina, qvæ odiosa aut ad recordationem odiorum apta renovant incitamenta veterum irarum. Eo magis omittenda â victoribus trophæa. Non perinde vulnera, luctus, excidia, qvam triumphorum species dolore & irâ afficit. Unde prudentiæ ars pacis studiosa inter præcepta posuit ea dolorum irritamenta aut planè non exstruenda, aut ex his materijs, qvæ hominis ætatem non superent. Illud pro tranqvillitate constantius nec â gloriâ victoris alienum omittere potius honoris inania, qvam publicatâ in posteritatem devicti hostis infamiâ odium

dium & invidiam publicam æternare. Sed non ea saltem invidiosa, qvæ ære aut lapide eriguntur, diuturnius istæ pacificationum conditiones mordent, qvibus eorum memoria relinqvitur, qvorum oblivione pro pace opus erat. Amnestia qvo magis pura, eo magis secura est. Rarissimè per leges determinatur, ut non nomen suum perdat. Ita vero comparatum cum pactis, quæ pro pace inter arma ineuntur, ut ferè omne medium in vitio aut periculo sit. In extremis plerumq; cautior securitas, dum pro illâ enitendum, ut cum qvo adversæ res sunt, nobis nocere vel non possit vel non velit. Qvorum alterum non nisi detritis plane viribus omniq; spe sublatâ, alterum ex præclarâ benignitate asseqvi licet. Qvando ad Furculas Caudinas inter duos saltus cum desperatâ salute clausi hærebant exercitus Romani, Herennius Pontius à filio Samnitum Imperatore consultus censuit, omnes inde qvamprimum inviolatos dimittendos esse. Cum displiceret immiti animo lenior sententia, iterum rogatus respondit, ad unum omnes interficiendos, Ob hæc tam discordia inter se velut ex ancipiti oraculo responsa filius animum patris in affecto corpore consenuisse rebatur, in qvo tamen vigebat vis animi consiliiq;. In consultationem accersitus nihil sententiæ suæ mutavit, causas tantum adjecit, Priore se consilio sic judicasse qvod optimum duceret, cum potentissimo populo per in- *Liv. lib. 9. Histor.*

gens beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamq; altero in multas ætates, qvibus amissis duobus exercitibus haud facile receptura vires res Romana esset, bellum differre. Tertium nullum consilium esse. Percunctantibus filio cæterisq; principibus, annon media eundum viâ, ut & dimitterentur incolumes & leges jure belli imponerentur, respondit. Ista qvidem sententia ea est qvæ neq; amicos parat neq; inimicos tollit. Servate modo qvos ignominiâ irritaveritis. Ea est Romana gens, qvæ victa qviescere nesciat. Vivet semper in pectoribus illorum qvidqvid istac præsens necessitas inusserit. Neutrâ ex istis acceptâ sententiâ eventus consilij prudentiam & mediæ viæ malam approbavit. Ut subseqventis ætatis gesta docent. Idem qvod Samnes ille, hoc alio tempore Camillus Romanorum Imperator de Latinis populis devictis ad Senatum his verbis disseruit. *Patres conscripti qvod bello armisq; in Latio agendum fuit, id jam Deûm benignitate ac virtute militum ad finem venit. Cæsi ad Pedum Astariamq; sunt exercitus hostium, oppida Latina omnia & Antium ex Volscis aut vi capta aut recepta in deditionem præsidiis tenentur vestris. Reliqua consultatio est, qvoniam rebellando sæpius nos sollicitant, qvonam modo qvietos perpetuâ pace obtineamus. Dij immortales ita vos potentes hujus consilij effecerunt, ut sit Latium, deinde an non sit, in vestrâ manu posuerint. Itaq; pacem vobis, qvod ad Latinos attinet, parare vel in perpetuum, vel sæviendo vel ignoscendo poteritis. Vultis crudeliter consulere in deditos victosq;? Licet delere omne Latium, vastas inde solitudines facere, unde sociali egregio exercitu per multa bella magnaq;*

Liv. lib. 8. Histor.

magnaq; sæpè usi estis. Vultis exemplo majorum augere rem Romanum, victos in civitatem accipiendo? materia crescendi per summam gloriam suppeditat. Certè id firmissimum longe imperium est, quo obedientes gaudent. Sic argumentatur ratio, qvam affectus rarò admittit, propensior semper in splendidâ fortuna sævioribus, & si vel ea declinare humanum videatur, hæret tamen mediâ viâ, neutram boni consilij attringens metam. Et cum spectandum sit qvid pro servandâ qviete alij tolerare possint seu velint, in eo aberratur, qvod imponentes sine obtutu recipientium suo ex desiderio unicè agunt. Prudenter secundum superius adducta Franciscus I. Galliæ Rex in Hispaniâ captivus animum explicuit suum. Trium se optionem Carolo V. Cæsari facere dixit: Aut se æterno carcere servaret: Aut pro suâ magnitudine pristinâ libertate donaret; Aut si tanta Burgundiæ cupiditas animũ incessisset, pactionibus, qvæ placerent, obstrictum dimitteret. Carcerem se forti animo passurum, pro libertatis dono gratum omni vitâ memoremq; tanti beneficij futurum, Iniqvis legibus dimissum, nunqvam bonâ fide amicitiam culturum, sed arreptâ primâ occasione omnia hostilitatis signa editurum. Qvâ de causa Hinricus Lusitaniæ Rex arguitur, qvod nesciverit uti vel summâ clementiâ vel summâ iracundiâ.

Andr. Mauroc. lib. 2. Hist. Venet.

Connestag lib. 3. de Cõjunct. Portugall. cum Castil.

Utut vero tutior, rara tamen sine conditionibus, qvæ ad media deflectunt, Amnestia est. Qvibus ita pro hujus constantiâ componendis invigi-

lare debet prudentia, ut qvam minimum offensarum relinqvatur. Absonum est oblivione pacem qværere & qvod memoriam semper præsentem sustentat, non sopire. Amplius acerbitatis relinqvit damnum qvod superest, qvam tollit beneficium, qvod infra illud acceptum videtur. Naturaliter magis ob amissa dolemus qvam ex præsentibus lætificamur. Scitè & verè de hoc Privernatum devictorum Legatus in Senatu Romano rogatus, qvalem exspectarent pacem, respondit: *Si bonam dederitis, & fidam & perpetuam; si malam, haud diuturnam.* Melior pars Senatus viri & liberi vocem auditam judicavit nec credi posse, ullum populum aut hominem deniq; in eâ conditione, cujus eum pœniteat, diutius qvam necesse sit, mansurum. Ibi pacem fidam esse ubi voluntarij pacati sunt. Dum spreto hoc humanitatis axiomate pacta magis placent, qvæ conditionibus aspera & inani terrore splendida, qvam æqva sunt & ut ab homine lubenter tolerentur, nihil certius atq; ad primam occasionem pacta violentius compacta in turbas dissilitura. Qvam iniqva aut dura pacis tractatio, tam difficilis conservatio & infelix executio. Omnes conditiones examinare nec instituto meo convenit nec sub generali tractatu possibile est. In regulas enim se redigi non patiuntur, sed prudentiæ pacificantium relinqvendæ, ut scopo suo aptentur. Propositæ de voluntate offerentium & pacis securitate argumenta providis &

Liv. lib. 8. Histor.

in

in futura sagacibus erunt. Spargitur in vulgus non rarò Amnestia, tanqvam bonæ spei satisdatio, ut hoc qvasi pignore bonæ voluntatis credulitas concilietur. Sed progressus & eventus tractatuum compertum dat, ab amplissimis pollicitationibus multoties effectum abesse & eam qvietis anchoram tantis conditionum difficultatibus illigatam, ut illaqveatis pulhritudine speciei incautis, mulier supernè formosa desinat in atrum venenosum angvem. Qvoties tam magno paratu atq; typho ostentatum id nomen, sed finitis solennitarum ampullis in exitu usurpandum fuit vetus dicterium, Parturiêre montes, enatus ridiculus mus? utinam non sempiternum rodens. Qvia de oblivionis decreto hic agitur, nihil ultrà hic moneo, qvam ne ijs pactis oneretur, qvæ oblivionem non admittunt. Talia ea sunt, qvæ religionem, libertatem, honestatem publicam lædunt aut imminuunt. Qvæ dum servari nec possunt nec debent, ea qvoq; nec facere nos posse ratio censuit, ideo inter impossibilia communis opinio locavit. Earum rerum præsens semper & perpetua memoria, nunqvam acrior qvam aliqvo ex ijs amisso. Tunc demum qvanta bona sunt plenè intelligitur. Ideoq; postqvam pax bello perniciosior visa fuit, bello commutatur omni opinione citius.

Religionem armis propagare velle infelicissimi plerumq; exitus fuit, qvo ipsa pietas per speciem

 defen-

defendendæ pietatis perijt, & dum qvi mori post mortem timuerunt, interim pro vitâ æternâ mori non timent, extremis cladibus, templa, aras, focos, patriam, cæteraq; omnia pessumdederunt, ut plures animæ ex religionis inter arma neglectu perderentur qvam salvari possent & tandem post devastata Ecclesiarum seminaria, cum barbarie atheismus religioni prostratæ succederet. Perinde sub pace conscientias servilibus obligare legibus, tam infausti ominis est, qvam minimè cum istis servari potest tranqvillitas. Caret ea pax animis, qvæ cogit invitos ad non persuasam religionem detorqvere mentes aut se suaq; in exilium ejicere. Ex altero fidei simulatio, aut, si seriò recipitur, ostentatio semper habet, qvod turbas foveat, erupturas in recentes motus, ubi aut dissimulantibus pro Deo in superiores perfidiæ exerendæ aut apostatis persecutionibus in suspectos aut odiosos asserendæ constantiæ occasio erit, qvæ tali rerum statu nunqvam deficit: In altero patriæ juvandæ & revisendæ, ignominiæ eluendæ & in infensos ultionis desiderium inqvietius est, qvam ut prætereire sinat armorum licentiam, & his qvi obstaculo sunt, nocendi occasiones. Tot hic erunt hostes, qvot exules. Utrobiq; pœnitentia id desperatæ pertinaciæ continet, qvod pro pietate sive verâ sive putativâ vindicandâ militantes, se tanqvam piacula mactari, qvam desistere malint & in extremo exitu salutis portam por-

tumq;

rumq; collocent. Cum sub Carolo IX. Galliæ rege sed ætatis ad huc immaturæ, de pace reducendâ ageretur, Catharina mater Regis & regni administratrix, persvadere conabatur, id primum caput cæteris de concordiâ ineunda conditionibus substernendum esse, ne alia qvam in ecclesiâ Romanâ recepta religio per regnum universum admittatur: Sed Condæus è contrà communi nomine respondit, non suam ipsorumve privatam, sed publicam in hoc negocio causam agi, & nisi Dei gloriæ, regiæ incolumitatis, patriæq; utilitatis desertores haberi velint, in tam duras conditiones consentire non posse. Conscientiarum pace, qvæ edictis constituirur, sublatâ, qvid aliud superesse, nisi ut Rex regnumq; florentissimum perpetuo & inextricabili bello involuatur? Id beneficium, pacis nempe, ejusmodi esse, ut sine eo vitam minimè vitalem existiment & parati sint vel exilio perpetuo publicam qvietem & religionis securitatem redimere. Verior ex his censura eventu comprobata est, per immensum sangvinem apud Gallos eâ consignatâ sententiâ, pacem religionis inanem esse, nisi religioni utriq; pax sit, & conscientijs libertas sanciatur. Si pacem non sinit diuturnam tyrannorum violentia, si servitus apud generosos spiritus cum qviete incompatibilis, qvî pressæ & dominio subjectæ conscientiæ eandem sustinebunt? Nulla major Tyrannis, ut Maximilianus Cæsar dixisse fertur, qvam conscientijs dominari vel-

Thuan. lib. 30.

ri velle. Qvæ imperandi ratio, dura carnificina eſt. Nulla res ſervitutem minus patitur qvam conſcientia, in qvâ Deus incorruptæ mentis judicium locavit, ut non debeat non eſſe liberrima. Impoſſibilis ea lex, qvâ conſtringitur invita. Neſcit habere ratum, qvod non credit verum aut pium; Credendi qvod nolit, aut qvod velit non credendi neceſſitatem nemo ipſi imponet. In eo ſuprà coactiones eſt. Stephanus Poloniæ rex dixit, nolle ſe conſcientijs imperare, ſiqvidem Deus hæc tria ſibi reſervaverit, creare ex nihilo, prænoſſe futura & conſcientijs dominari. Imò nec Deus abſolutè cogit. Amat liberum cultum, nec erroris principia fulminibus & vi prævenit. Linqvit errantibus ad converſionem longanimitatis ſuæ interuſurium. Et licet is vitæ, honorum & bonorum ſummus arbiter, non tamen adimit hæc mundana nec ejicit ſtatim ex mundo, qvia ſpernuntur aut declivi viâ qværuntur cœleſtia. Notentur omnium temporum monumenta, qvibus irreligioſa illa pro aliqvâ religione exſtirpandâ aut propagandâ bella conſignantur, & hoc prudentes notabunt, ea nunqvam ſecurè finita, niſi per pacem libertate fidei confirmatâ his, qvi pro aris & penatibus fortiter præliabantur. Ubi alijs actum conſilijs, ex perſecutionibus cruentius ſemper bellum, preſſæ religionis incrementa, oppugnantibus ſæviora pericula, & licet pacis nomen promulgatum, pacis tamen fructum non conſtan-

tem

tem deprehendes. Germaniam ſaltem in teſtimonium advoco. Teſtetur illa, qvod omnes cum dolore ſentimus, pauci credimus.

Perinde inqvieta pax eſt, ex qvâ pactio ſervitutis aut immunitio priſtinæ dignitatis. Gaudent victores ijs conditionibus Amneſtiam circumſcribere, ut ubiq; remaneat appendix dominationis. Suſcipiunt aliqvando victi aut ex adverſâ potentiâ timidi, ſed ultrà qvam neceſſitas incumbit, haud ſuſtinent. Intolerabile id malum eſt ſemel libertatis dulcedini aſſvetis, cujus acrior memoria ſemper vivit in pectore, qvam ut per vim eradicari qveat. Nulla atq; ob neglectum illud bonum citius ſubit pœnitentia generoſis mentibus, ut perire qvam ſervire præoptent. Videtur qvippe cadi cum dignitate ab his qvi ſerviunt cum ignominiâ. Et ubi refert noviſſimum ſpiritum per ludibrium effundas an per virtutem, contemnitur qvies, qvæ pernicioſior eſt temeritate. Ex pudore ſuccreſcit audacia & cum nihil ſpei ſupereſt, reſumit arma formido. Undeeò loci ubi ſervitutem eſſe velis, fides haud ſperanda. Damnat qvidem belli judicium devictos ad jugum, & ſi tam ſecurè ſemper imponeretur qvam juſtè, ſuffragarer ut libertatis oblivio unâ ſanciretur. Sed inſvetæ cervices diu ferre neſciunt, & dum tanqvam malorum extremum ipsâ morte vehementius horrent, nulla vis ſubiget, ut non priſtinæ libertatis memoriâ intus fremant, domi fo-

 riſq;

risq; reperendæ remedia aucupentur. Non moveant in contrarium exempla, anteqvam discernas gentium ingenia. Alios natura fecit & reliqvit liberos, nulli unqvam aut non nisi ante immemoriale seculum dominationi obnoxios: Alij nec totam libertatem nec totam servitutem ferre possunt: Alijs libertas nunqvam cognita, ex assvetudine aut naturali indole servire gratum. Ex varianti gentium genio sic consilia instruere decet, ut diversus sis cum diversis, nec singulis nova imponere, nisi qvid ab unaqvaq; exspectandum vel timendum sit, per ingenij, virium & patientiæ indaginem præcognito. Non omnia omnibus peræq; congrua. Optimum maximeq; firmum illud reipubl. genus est, qvod causas in naturâ positas habet & convenienter pro civium indole adhibetur. Hinc corpus tranqvillum est, & oblectationem haurit ex qviete, qvæ utilitatem habet conjunctam. Species politiæ à moribus populorum abhorrens, non secus atq; calceus pede minor vel major incommodus & gressui adversus est, ita tyrannidis opinione laborat, ut qvibus non accommoda non desistant priusqvam vel se exsolverunt, vel obstantem seq; perdiderunt. Nec qvæ insolita tam ex facili tolerantur qvam per vim imponuntur. Alexandro Magno Macedoniæ rege in medio fortunarum cursu vitâ defuncto, nulloq; tot regnorum hærede certo relicto, in tanto populorum numero, tot gentibus barbaris

omnia

omnia manebant qvieta & obseqvij certa. Qvia Persicæ dominationi innutriti ad similem servitutem mutatis saltem dominorum personis transierunt, nunqvam degustato libertatis bono. Perinde secura illorum qvi Turcico imperio serviunt subjugatio est. Non indignantur servilia imperia qvibus libertatis ignoratione prompta servitus. Libero aut moderato obseqvio Principi obtemperantibus, Domini nomen & regimen odio & horrori est, dum boni scientiâ, malum reformidant. Fidos qvi cupit, sinat liberos & pristinâ conditione gaudentes. Frisij cum contra Saxones, qvorum imperio olim suberant, rebellassent, causam agere jussi armorum tumultusq́; , pro ratione obtenderunt, in novello dominatu præter jus & pacti fidem postulata, qvæ sustinere ignoraverint, per vim & contumelias exacta tributa, qvæ nisi sponte conferre non consveverint, qvæq́; in principatu ac populo imperijs obnoxio ferri non possint, populo libero & contumeliarum impatienti irrogata. Imputatur per Politicos is error Hispanis, qvod regnandi potestate potiti nesciant discernere sua desideria, & gentium, qvibus præesse volunt, ingenia. Familiare ijsdem tale exigere obseqvium, qvale sibi lubet imperium, qvasi populis semper in promptu sit, naturam, amorem, indolem, vitam, mores, & cætera ingenita ex nutu deflectere ad contraria. Nec mirum existimatur apud plerosq́; tam exosa, tam brevia, tamq́; turbu-

Ubb. Emm. lib. 39. Hist. Fris.

turbulenta & jucundæ pacis nescia esse illorum imperia, qvibus deest voluntas & amor subjectorum, tanqvam publicæ salutis unicum fundamentum. Ferunt in otio agnovisse Carolum V. Romanorum Imperatorem, qvod in imperio erga Germanos, incongrua Hispanorum consilia prævalere passus, gentem ex suo genio non gubernasset. Accusant id alij etiam successores Majestatis Cæsareæ aut qvi à consilijs ijs fuerunt, inde, qvod cum Germanis Hispanicè sub præfato Imperatore aliàs laudatissimo actum est, odia tum familiæ Austriacæ, tum Hispanorum altius multorum pectoribus insinuata derivantes. Magni constitit Hispano neglectum indolis discrimen in Belgio, cum liberalia incolarum ingenia Hispanico dominatu premi pateretur, populisq; libertatis partem instar preciosissimi depositi tuentibus ineptas leges imponeret. Ut igitur servitutis his, qvi pacatè & constanter ferre valent, justa impositio, sic cum qvi merentur, perinde non capiunt, sed oneri impares, æqva & utilis remissio, qvia majore reipubl. ejusq; tranqvillitatis dispendio postea excutitur, ac qvanto lucro ferre nescijs imponitur. In pari paciscentium fortunâ tuta & constantia sunt, qvæ illi volunt, & iniqvitatem sustinet semel placiti fides. Apud victos nihil solidum, nisi qvod per ingenium & impotens desiderium tolerâtur. Qvod dolet, metu aut coactione, remedijs nempe, qvibus obseqvium contineri de-

bet, exacerbatur. Inde qvam fœda & imprudens recipientibus, tam intuta injungentibus servilis cum liberâ gente pax est. Dum creditur vitâ non satis carè dona jucundæ libertatis emi, honesta constantia mortem servituti præferentium etiam victoribus terribilis permovere debet, ut cum pacto moderati obseqvij eorum desperatio & casus, qvos ultima hora adferre solet, redimantur.

Id verò libertatis esse existimatur qvod antea consvetudinis, etsi vel servitutis species alijs videatur. Tanti faciunt populi mores & jura inveterata, ut cum ijs, qvia sponte his vivunt, se liberos opinentur, cætera utut meliora ægre ferant. Tranqvillitatis in hoc firmamentum, relinqvere populum suis moribus legibusq; & sic imperare, ut hæ qvam minimè violentur. In civilibus præsertim bellis pacandæ civitatis id optimum & unum fere remedium, ut in eam compagem, unde intestinis motibus concussa, exactè restituatur. Pax rerumpubl. domestica suis continetur constitutionibus, qvas majorum prudentia tanqvam concordiæ & qvietis vincula saluti communi circumdedit. In his status ratio residet, ideoq; accuratissimè servasse ad reipubl. incolumitatem, populi lubens obseqvium, imperantium autoritatem, imperij constantiam, publicam tranqvillitatem plurimum refert. Semel justæ compositionis limitibus perruptis, suspiciones, contentiones, odia, turbæ irrum-

punt. Dissipatæ per ista societatis civilis ex reductione ad pristinam faciem unica medela est. Germania nobis præbeto exemplum. Qvod Europæ, imò orbis imperium inter tot diversas, liberas & potentes gentes in prævalidâ libertate ad concordiam & robur, bona raro communia, scitius illâ compositum fuit? Admiratus olim imperij & obseqvij harmoniam orbis, tremuerunt hostes, salutarem sensit respubl. cujus salus & qvies eâdem stetit viguitq;. Penes Imperatorem summa deponitur potestas, sed ut in arduis & summam reipubl. concernentibus eâ uti non possit, nisi ex consilio & assensu Imperij ordinum. Capiti directio & dignitas data, membris electio & consultationum communicatio. Monarcha est, sed ut secundum leges imperij fundamentales æqvitate defungi possit, dominari pro lubitu non liceat. Status in partem curarum assumpti, sed ut in his, qvæ juri & imperij rationibus expedita communi consensu placuerunt, plenitudinem potestatis Imperatori relinqvant. Inde bellum, pax, fœdera, leges, subjectorum onera, judicium in fortunas & capita statuum, regiâ Cæsarum autoritate ordinantur, sed non nisi publico scitu & decreto. Qvæ ut salutaria communibus aut majoris partis calculis approbata, eò validiora sunt, qvod consensus unitas exeqvendi vires firmius consociat. Unde terror emanat in hostes, obseqvij promptitudo manet penes cives, imperio honos & veneratio

apud omnes. In his vero qvæ è re communi non sunt, adeo proficit hoc summæ potestatis temperamentum, ut membra à Capitis delirijs aut impotentiâ sint secura, nec tamen ubi qvid ex usu publico ordinatur, illi ex dignitate qvidqvam decedat. Ad hunc finem vetustas venustè concinnavit omnia, ne in compositione pars qvædam intumescat altius, ut totum corpus excessu fœdetur aut infirmetur. Docent comitiorum recessus, qvam Capiti sua sit autoritas, membris necessaria sollicitudo, ex utraq; placitorum egregia conventio. Judicij supremi, qvod in Camerâ Imperiali Spirensi exercetur, ordinatio toti imperio diversimodè communis servat æqvitatem judicandi, ut judicati revereri cogantur imperij pro justitiâ consensum, & tamen non metuenda sit alterutrius partis dominatio & servitus. Adeo Imperator suæ in justo imperio potestatis, ordines Imperij suæ contra dominationes libertatis voluerunt esse securi. Membrorum perinde apposita compactio est. Singulis sua jura & privilegia, qvorum conservatio publicis legibus colligata. In publicum omnibus observandi & pro communi patriâ vigilandi jus est, sed ut curas suas Imperatori in sinum effundant. Qvod nisi paucioribus ex negocij conditione aut sine moræ periculo committi non potest, translatum in Electores. Horum jura inter Ecclesiasticos & Seculares divisa sunt, singulis pro usu reipubl. certa munera indita. Politico-

rum

rum vota in præcipuas Germanicarum familiarum domus, cum conditione ad alias non derivandi translata, Ut tamen ex singulis Principum ordinibus unus in præeminens illud collegium lectus fuerit. Ex Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus singuli assumpti. Qvamdiu intra cancellos tam laudabilis compositionis perstitit Germaniæ regimen domi pace, adversus exteros hostes victoriâ aut invictâ constantiâ floruit. Qvoties ea forma imperij & obseqvij distracta aut per abusus fœdata, intestinis dissidijs cuncta ferè convulsa & exteris invasionum aqvilamq; deplumandi occasiones non sine luctuoso universæ Monarchiæ detrimento præbitas fuisse annales testantur. Recentior ante nostrum ævum, qvod aliqvod abhinc lustris inter arma civilia degere cæpimus, ea corporis hujus luxatio est, qvæ sub Carolo V. contigit. Dissidia religionis ansam, non tamen causam præbuerunt. Postqvam non minima Procerum imperij pars illucescente Evangelij diu per Papales tenebras obscurati claritate libertatem religionis exigebat, Cæsar cæteriq; Sedi Papali devoti contra nitebantur, evénit, ut qvæ precibus & modestiâ conscientijs servari non poterat libertas, contra vim armatam armis defenderetur. Annon jure, hujus loci non est disceptatio. Exijt per istam occasionem extra formam compositi imperij compages. Et cum Hispani apud Cæsarem consilijs suis prævalerent, ut isti ex

inge-

ingenio liberi Imperij negocia tractabant, sic tandem ferè nova erupisset Hispanico-Germanicæ dominationes facies. Trahebantur prætextu religionis in assensum Pontificij Proceres, cæteri ut maturè obviam non irent pollicitationibus, præmijs, minis, seducti. Si qvi dubiæ fidei, inescati ut in communi causâ aut contrà eam pro privato victoriæ lucro insurgerent. Qvi resistebant conatibus, magnâ vi oppressi & dispersi: Omnes ex his principijs ad servitutem in secreto Hispanicæ factionis judicio damnati. Qvod vim adversæ destinationis non sentirent diuturnam, accepto ferendum temeritati arcana dominationis citius revelantium qvam ut dominari liceret. Invisa tam victis qvam victoriæ socijs servitus jussit provocare ad reliqvas vires, easq; armorum potius judicio submittere qvam cervices jugo: Desævijt tamen & illa tempestas, prudentià præprimis Ferdinandi I. Romanorum Regis, qvi Germanos Hispanicè per Fratris administros tractarii improbans, aliâ incedebat viâ, ut gentem liberam suo ex ingenio tractaret. Libertas igitur & religio per æqvam pacificationem, qvatenus in iniqvos sensus à novatoribus non est detorta, imperio cum qviete restituta est. Et cum in pietatis cultu dissiderent procerum animi, nec in unam sententiam conciliari possent, conventione & lege publicâ diversitas sic permissa, ut in publicum exitium non stimularet nec libertati imperij qvidqvam decederet.

ret. Data per Pacem ea Protestantibus securitas, qvâ Pontificij gaudent. Relicta ea potestas, qvâ retunderetur judicio aut, cum hoc invalidum vel suspectum, armis contrarius ausus. In Electorum collegio tribus votis juris sui tuendi licentia fuit. In Comitijs eorundem tam liberi qvam Pontificiorum sensus; In Aula aut Camerâ Imperiali utrisq locus & ubi causa religiosa tractatur, ex impari numero pares tamen ad judicandum accederent. Mansit inde qvies, donec Papalibus insidijs pacis religiosæ fundamenta per verborum & sophisticationum offucias in disputationes & hinc causa Evangelicorum in magna pericula vocaretur. Distracta primum per ligæ & unionis infausta nomina Imperij membra. Imperator sub religionis titulo Pontificijs accessit & cum primum res ea in contentiones incidit, causa causam, lis litem, flamma incendium peperit, qvo proh dolor totum imperium in tam conturbatum, deperditum & conclamatum statum detrusum reperitur, ut ab exitio proxime absit, in agone ægrè respiret. In ore, prætextu, & pallio religio ponitur: Sub eâ tamen libertas, bona, honor & omnia ferè jura mortalium in periculo & sub armorum cuspide sunt. Ea sola restitutionis spes est, ut unde turbines ex tranqvillo navem ad intempestuosa transportarunt, inde in portum, à qvo per tempestatis injuriam aberrat, reducatur. Exitus dabit compertum, redituram qvietem, si redeat Imperatori moderata

ex

ex Capitulatione poteſtas, membris juſta harmonia, Fundamentalibus legibus non interruptus cultus, comitijs & judicijs integritas, religioni & conſcientijs libertas, pacis religioſæ & profanæ à majoribus ſaluberrimè conſtitutæ non ex ſubtilitate Logicorum canonum aut JCtorum ſcrupuloſis diſſertationibus, ſed ſalute & uſu ſtatus publici apta interpretatio. His conſtitutis olim reparatæ clades civiles & conſervata concordiæ ſerenitas. Qvæ non poteſt non tantopere vacillare aut deperdi, in qvantum ejuſdem fundamenta à loco dimoventur. Sic ſapientes omni tempore cenſuerunt pacem Imperij egere Germanicæ libertatis æqvilibrio, qvo nec caput membris in dominationem immodicam, nec membra capiti in reluctationum contumaciam, nec hæc invicem ad factiones & oppreſſionum potentiam protuberent. Etſi ergo exſurgentibus ſemel motibus omnium præteritorum pleniſſima ſancitur amneſtia, niſi harmonia congruentis ordinis, tanqvam fundamentũ & vinculum reſarcitæ tranqvillitatis, cingat & contineat compoſita, tam facile refricabuntur leviter obducta & male cohærentia, qvam difficulter inter morbi vehementiam ad ſanandi momentum ſunt deducta. Qvemadmodum ex ruinoſo & non bene compacto fundamento totius ſtructuræ, utut ſplendidæ & ſumptuoſæ, certa labes & deſtructio inſtat, in tempus ſaltem ſuſpenſa, nec ædificij aut inhabitantium inter procellas & toni-

tonitruum concussiones secura possessio, sic qui post turbis distractum imperium, dissolutas leges, corruptam regendi formam, conversa boni ordinis munimenta in restitutione relinqvuntur defectus aut lacunæ, omina & semina sunt novorum motuum, atq; infallibilis causa nunqvam sperandæ fidelis animorum consolidationis. Qvidqvid ex antiqvo amissum, aut recenter injunctum non potest non libertatem jactantibus in perpetuum dolere, ut qvovis momento recuperatum cupiant & tentent, qvo ægrê in præsens carent. Concatenata legum & ordinum Imperij Romano-Germanici series non permittit uno violato aut oppresso membro reliqvorum integram esse staturam. Si Evangelici status vel ultimum excidium, ad qvod diu votis & consilijs adversariorum damnati sunt, paterentur, nisi restitutâ antiqvâ libertate certissimè non desineret bellum. Qvidqvid partium superstitum aliqva ex victricibus armis suæ vindicabit potentiæ, novorum inter Romano-Catholicos proceres motuum seges futura. Qvomodo Evangelicos pro religione dimicantes oppugnant, interim publicæ libertatis non jam periclitantis amplius sed ferè prostratæ incuriosi, metuo ut sic de amoliendo jugo per sua arma & illorum clades & persecutiones sibi accelerato imposterum omnem movere lapidem & extrema experiri opus habituri sint. Utinam non cum seræ pœnitentiæ dolore. Adeo impar bello Amnestia

qvæ

qvæ in liberâ & potenti gente non resarcit libertatis, pro qva dimicatur, non interruptum fundamentum. Hoc tremente aut inclinante, ruitura est tranqvillitas aut dum id præcavetur, ipsâ cautione, ut in tali re fieri solet, novis motibus materia præsto futura.

Nulla conditio Amnestiæ magis adversa ac qvæ non modo acrem belli relinquit memoriam, sed & materiam imò ipsum bellum. Hoc vitij ista habet, qvæ desertione sociorum recipitur. Qvi se bello eximunt, sed socios & amicos sub cuspide relinqvunt, qvomodo in reliqvo patriæ suæ incendio aut inter causæ communis pericula securitatem oblivionis sperant? In eâ pacis umbrâ utrinq; anceps & damnis subjectum suam stabilitatem aliorum ruinâ redimere & pro suâ qviete aliorum securitatem impendere. Non modo ad dignitatem fidemq; pertinet non prodi socios, sed etiam ad incolumitatem. Inanis spei ea reqvies, qvæ intus violatione fœderis sauciat conscientiam, cœlitus ex immoto Dei per Ezech. 17. v. 15.
Prophetam revelato judicio provocat divinam vindictam, foras duplicat hostes, nec recipit amicos. Desertus socius certus justusq; hostis est, reconciliatus adversarius dubius amicus. Utrinq; metuat necesse est, qvi in utroq; latere sui metum facit. Nullibi fidus nullibi fidem meretur, nec recipit. Nomen perfidi amici, veteribus socijs execrabile, novis suspectum. A Mitylenæis olim dictum est, qvod

Thucyd. lib. 3. recipientes illos qvi in bellis deficiunt & priorem societatem relinqvunt, qvatenus qvidem utilitatem ex ijs percipiunt, eatenus eos caros habere. Sed cum superiorum amicorum proditores esse existiment, eosdem improbos vocare odioq; proseqvi. Hoc intentioni fœdera distrahentium imputatur, qvod non tam sibi amicos qværant, qvam ut his qvibus male cupiunt, qvavis ratione adimant & qvos metuerunt universos, dissipent separatos. Eò arcano multorum nititur hostilis potentia, Divide & impera. Ingens operæ precium est calami tractu dividere exercitus, pro adversarijs asciscere auxiliatores, fidem perfidiæ crimine apud exteros traducere, vitia hostium in spem victoriæ convertere & qvorum vis unita formidabilis erat, mutuis cædibus mactare. Non incelebris qvidam scriptor Johan. Paulus Windeck, ubi contra Evangelij confessores subdolas artes explicat, inter alia sic consulit. *Ad sectarios profligandos primò Catholicorum principum Liga reqviritur: Deinde non negligenda est occasio, qvando videlicet Protestantes pecuniis exhausti sunt; Utq; facilius eos opprimere possint, variis obductis causis & artibus alios ab aliis divellant, deniq; & externa auxilia Catholici sibi adjungant ad subjugandos sectarios; E contrà ne his exterorum suppetias sibi assumant, modis omnibus cavebunt.* Laudat idem Familiæ Austriacæ in his usurpandis solertiam juxtà & felicitatem. Qvod ille contra Evangelicos suadet, hoc ex mente adversariorum discessum à fœdere exigentium, sapientes semper præsumunt.

in deliberat. de hæret. exstirpand. pag. 412. & seq.

Nemo

Nemo horum non credit, exultabundos in ſinu ridere hoſtes, qvibus artes ſuæ tam bellè cedunt, ut amicitia hoſtium tantâ cataſtrophe maculetur, ijq; inter ſe commiſsi reciprocante clade in propria viſcera ſæviant, mutuâ attritione infenſorum direptionibus, ſuæ ſervituti & exitio ſemet adaptantes. Fallitur qvi præpoſterè credit, eos qvi amicitiam perſonæ pangunt non pacem imperij, aliud velle qvam diſtractis ſociorum animis viribuſq; tutius contrà ſingulos bellum, eòq; contrà deſertos confecto, in deſertorem potentiam, ſub qvâ aut perpetuò tremat aut ſtatim pereat. Nec incautius decipitur, qvam qvi ex fidâ ſocietate per delicta ad dubiam deducitur. Imponitur propudioſo infidarum conditionum objectu neceſsitas in bello adhuc continuandi. Poſtqvam inde alius potentior, amat victor devictis, qvi deſeruntur, deſertorem in cætera victoriæ præmia ſecurius accedere. Inde ſervile obſeqvium aut certum exitium. Supereſt ſaltem Uliſſeum privilegium, qvo ſolo dignus eſt, ut primitus ſervatus ultimo devoretur. Nullum contrà auxilium, poſteaqvam perfidiæ exemplum extra fidem, & in cõmune odium translocavit, nec ſuperſunt qvi impiè ingratum juvare velint aut poſſint. Non ſperanda ab his, ad qvos deſciſcitur, gratia, cum nullo ſe devinctos beneficio putent in eo, qvod per formidinem aut ignaviam remittitur, unde alienæ vires debilitantur. Reges & principes fortunæ

ſuæ

suæ magnitudine inflati, omnia in solutum accipiunt, & longe plura deberi putant ab his qvos clientelæ & fidelitatis obseqvio obligatos tenent. Adeo qvi derelinqvendo communem societatis utilitatem potentiorum veniam aut favorem captant, similes sunt his qvi ut luporum gratiâ potiantur proprias venas ad exitium incidunt, qvibus illorum voracitati satisfaciant. His prudentissimi Cominæi angurium ante oculos esto: Qvando Dinantenses à fœdere Leodiorum secederent sua separatim negocia tractantes, ex eo interitus sui præludio sic illo censet. *Qvoties illi qvi fœdere juncti sunt, rationes suas à communi causâ segregant, secessionem faciunt & se dissipari patiuntur, dubitari amplius non debet, qvin paulatim omnes cladem accipiant. Idq; pertinet tam ad principes qvam civitates. Et qvoniam ejus rei plurima existunt documenta, longiori sermone nihil est opus.* Credo & nostram ætatem non carere exemplis eorum, qvos sua miseria aut conscientia improsperæ turpitudinis convicit. Sic honestè coitur in fœdera, ut his libertas non nisi inevitabili ex necessitate alienis usibus & voluntati alliganda; ubi semel constricta pactis, semper tanqvam pro alienâ salute devotis cum socio non injurioso pereundum, nec salus cum illius periculo licet oblata acceptanda sit. Nam & inde sic comparatum est, ut qvos communis causæ defensio conjunxit vix aut perire aut salvi nisi unà esse non possint & ab unius pernicie ad alterius exitium proximus progressus pateat, inq; eo sola salus, singu-

Cominæ. lib.2. Comment. Rer. Gallic.

singulorum qværi debeat, in qvo sita est omnium. Hæc vera ratio obviandi periculis, qvæ insidiosa minatur compositio, ut qvorum armis defensi, eorum pace tuti simus. Pro istâ aspernari decet luculentas conditiones, utut vehementer ad amplitudinem privatæ domus pertineant, ne rationes ab utilitate communi sejunctæ habeantur. Communibus animis, consilijs & viribus masculè cohærentibus stat belli salus & finis justi conseqvendi spes. Iis terretur hostis, continetur socius, juvatur patria, comparatur securitas. Qvibus semel disjunctis in distractos faciliora sunt arma. Et dum derelictis fœdæ deditionis aut honesti casus optio imponitur, ubi fortunam constanti consilio experiri statuunt, siqvidem eâ inferiores, non sine notâ & discrimine socij vincuntur; Si felicius resistunt, prima adversus hunc ultio & ubi apparuerint vires, perpetuum bellum. Invictus animus etiam in adversâ fortunâ his armat sui constantiam, ne metu belli in ipsum bellum incidat. Nulla vis tanta aut calamitas, qvam non spe melioris momenti soletur honestum propositum. Promissa nulla tam splendida, qvibus fides & honestas ipsi venalis. Minari nihil licet qvod non contemnat, qvia perfido graviora imminere scit. Nulla illorum autoritas apud magnanimos, qvi morti, servituti cæterisq; calamitosis fidem & gloriam anteponunt, extrema pro patriâ pati optimum augurium putantes.

tes. Fortiter igitur in communem causam incumbere nec pati ullo artificio semel honestè suscepti propositi constantiam labefactari, securitatis pignus est, qvod munit pectus terroribus inaccessum. Sunt qvidem causæ qvibus discessus à fœdere à perfidiæ criminationibus defendi solet: Sed utut non injustæ, tamen ijsdem uti non semper salutare, nisi qvatenus bellorum intentioni ad pacem satisfaciunt. Primò omnino graves, certas, urgentes nec in opinione saltem vagantes esse oportet. Belli enim fœdera non chartis saltem illita, sed orbis terrarum conscientiæ nobilisſimo sangvine inscripta prætextibus se deleri non patiuntur. Deinde omnia prius æqva & iniqva forti stomacho concoqvenda sunt arctisſimâ laborum & periculorum societate conjunctis, qvam ut ad malorum omnium extremum nimirum ad interminandam secesſionem à communi causâ deveniatur. Pro qvâ, etsi qvæ causa ejus fuerit, amoliendâ, laborandũ citius qvam ut defectionis cogitatio suscipiatur. Deniq; si non evitanda, sic ijs ad discessum venia demum fieri solet, ut socio pacis justæ, tutæ, decoræ obtinendæ licentia remaneat. Transiliunt causarum justitiam, qvi pro se sic pacificantur, ut socios duriori bello implicent, neutiqvam solliciti ne suus discessus ipsis innoxius sit. Etsi integrum fuerit nuncium mittere societati, non excusandum tamen, nescijs socijs talia moliri, pacem partialem in fraudem necemq; eorum

rum struere, arma pro novo amico in veterem socium stringere. Qvæ â justitiæ tramite tam late deviant, qvantum ab amicitiâ distat hostilitas, qvamqve iniqvum est amicum, qvia auxilio ejus gaudere nolis, declarare hostem. Ex qvibus elucescit sine dubio, qvam irrita & penè impossibilis sit ea Amnestiæ conditio, ut pace cum hostibus communibus non restitutâ, ardente adhuc bello, eâdem demum gaudeant, qvi arma non deponunt modo, sed etiam jungunt contra hos, qvibus sacramento, beneficio, causæ & fortunæ communicatione arctissimè fuerunt obstricti. Ubi tam reformidanda est illorum indignatio qvi sub fiduciâ reconciliationis deseruntur, qvam dubia manet sub dubijs armis discedentium securitas, nemo non sibi cautus mavult manere eo, qvo est loco, qvam mutationum pericula subire. Sunt ibi qvæ dehortantur, sunt qvæ impediunt: Validiora semper apud providos futurorum, qvam ut nomine amnestiæ refelli qveant. Qvæ nominalis saltem est, ubi per eam non redit pax universalis, justa, fida, perpetua. Qvando perniciei hostium sine pace destinatur, nova sævioris belli materia est, unde tandem consumantur recipientes & adversus armorum injurias suâ virtute tuti, beneficio intereant. Ea demum vera Amnestia, qvæ pacis conditio, non qvæ belli, cujus memoriam abolere debet, conditionem habet. Aliter intendentes istam tur-

 barum

barum non remedium sed fomentum & incrementum optant, donec fine suo patiantur.

Tandem ab Amnestiâ omne absit pactum, qvo indelebilis irrogatur fœditas. Qvare deletur injuriarum memoria, nisi ut redeat tranqvillitas? Sed qvî hæc perdurabit, ubi remanet labes qvietis impatiens, & vel cum morte commutanda. Freqventius evenit, ut nec victores ea curent, ex fortunâ arrogantiores, qvam ut lenia remedia admittant, nec victis ad exspectandam fortuitorum emendationem animus supersit. Hic difficilis inter præruptas difficultates deliberatio, gratiamne cum qvâvis conditione acceptent, an ultima experiantur? Qvibus in adversis mediæ spes, etsi consultius non sine prudentiâ existiment, rebus inclinatis semel inclinare, & qvavis tutâ potius conditione pacem accipere qvam viribus cum potentiore concertare; nunqvam tamen ex ratione eæ placebunt leges, qvibus turpia cum pernicie & perniciosa cum ignominâ facere aut tolerare necesse sit. Supplicia illa sunt, non pacis media, Eo fœdiora qvod spontè subeuntur, qvamdiu ad extremum halitum non contraniteris & extrema tentando dignitas haud vindicatur. Non sumendum à fortunâ consilium, qvamdiu relinqvit unde ad meliora converti potest. Rebus etiam maximè afflictis temporibusq; difficillimis, cum nutat respubl. ac in occasum vergere videtur, prudentiores nolunt obtrudi

palpum

palpum pacis, qvæ eam penitus deperdat. Sors inops belli tamen artem victos qvoq; docet, fractisq; rebus cum amplius nihil præstat ultimam virtutem efficit violentiorem. Mille casibus subjecta facile prudentibus porrigit, unde aut præcaveant aut morentur ruinam. Unum salutis remedium est, fortunæ non alligare aut æqvare animum. Qvamdiu is supernè imperat, non curat ea terriculamenta, qvæ tam facile minui qvam augeri possunt, & in vim eruptura levius nocent, qvam qvod pactione suscipiendum. Semel ad servitutem aut turpitudinem porrectâ manu nullus ad meliora regressus est. Pactum tollit jus, spem & vires. Occasio, etsi vel ipsa salus imposterum mederi cupiat, potentibus præventa malis improba nec tam facilè suffectura. Ea omnia belli calamitas relinqvit integra. Ambigua qvidem qvamdiu deliberas, acris tamen apud desperatos. Extremum qvod victor hosti ad internecionem pênè deleto imponit, jugum est. Qvare isti cervices spontè præbendæ, nisi extremis expertis. Qvidqvid fortuna aut animus reliqvum habet, impendendum gloriosæ pro libertate & honore morti, ambiguis etiam inter extrema fatis, in qvam sortem mutaturæ sunt. Omnia mortalium tenui pendent filo. Funera triumphis miscentur, triumphi funeribus. Et ultima hora suos habet casus, detegitq; non rarò, qvam leve momentum inter omnia & nihil existat. Qvo-

ties honeſta conſtantia mortem turpitudini præfe-
rentium etiam victoribus terribilis aut inter indi-
gnationes non inviſa fuit, ut pertinacibus contra
ſpem armis redimendæ deſperationi donarent, qvo
melius integræ vires nihil extorqvere potuiſſent.
Aliud pro ijs conſilium videtur, qvi ad incitas re-
dacti, nihil ſuperſtes habent, qvam ut arbitrio ſu-
periorum pareant, vel ab aris & focis extorres ſua
omnia ſine recuperandi ſpe deſerant. Hos invictæ
necesſitati parere nemo improbat, præſertim ſi gu-
bernatorem navis imitentur, qvi ubi naufragium ti-
met, jacturâ qvidqvid ſanari poteſt redimit. Sed
inter anguſtias ſuæ conditionis cenſurâ labuntur
multi, tenui animo & adverſus periculum demiſſo
ſibi necesſitatem ſæpe facientes aut imaginantes, à
qvâ adhuc longius abſunt, aut nullo negocio ſece-
dere poſſent.

Reſtat tertium ſecuræ Amneſtiæ caput, ea con-
cernens media, qvibus ſemel ſancita conſtanter ſer-
vetur. Si tam facilè poſt abdicata odia animis qvam
chartis inſcriberetur, præter conſcriptam oblivio-
nis legem laborandum non eſſet. Sed & hoc fragi-
litatis patitur mortalitas, ut qvò magis per fidei ſo-
lennes formulas ſplendet, eò levius abolere ſoleat
memoriam; Scilicet qvia qvidqvid memorabiliter
conventum, ſed in ſervandi necesſitatem non ſatis
firmatum, citius vetera reſuſcitat, qvam ad nova
obligat. Non eodem modo beneficia & injuriæ ac-

cipiun-

cipiuntur. Illorum oblivio spontè surrepit: Iræ memoria etiam ab invitis retinetur. Qvippe naturâ insitum humanis ingenijs odisse qvem læseris. Maximè verò id habent pessimum animi magnâ fortunâ insolentes. Inde raró tuta spes fidæ reconciliationis cum his, qvos implacabiliter offenderis. Pœna licet demitur, culpa perennat, semper ex vindictæ cupiditatibus gravida, donec alteri malum pariat. Decipit semetipsum qvi aliter credit, qvam qvod reposita manent sub alto pectore, qvæ pectus semel acerbitate suâ sauciarunt, & iram ad tempus à tacitis concoqvi, ne professi odia perdant vindictæ locum. Erumpent eo infensius qvando inflammat occasio. Offensâ præsertim majestate per rebellionem eorum, à qvibus obseqvium exigebant, minori flagitio reputatur negligi promissa impunitatis fides, qvam justa vindicta. Majestatis crimen pro tali habetur, cujus infamia æterna, pœnitentia nulla, pœna nunqvam satis gravis erit, ut oblivisci nefas, non vindicare dedecus, per clementiam remittere ignavum & imperij honore indignum videatur. Ea mens multis, qvæ exercita â Leone X. Pontifice Romano. Is Alfonsum Petruccium Cardinalem non attentâ securitate, qvam sanctè dederat, post remissam insidiarum, qvas vitæ ipsius struxerat, culpam, vindictæ jam securum Romæ carcerari & fame necari jussit. Exprobranti, fidemq; reqvirenti Regis Hispaniæ Oratori respondit.

Guicciard. lib. 13. Hist.

dit: Nullam fidem, qvamvis amplissimam & munitam clausulis fortibus & specialibus porrigi ad securitatem delicti contra vitam Pontificis commissi. Ex similibus exemplis Politici struxerunt hoc axioma, Rebellionis crimen nunqvam bonâ fide remitti, nec esse principem tam insigni clementiâ, ut sceleris penitus obliviscatur, rarissimò tantæ justitiæ, ut & fide pro impunitate datâ contra dignitatem se teneri putet. Omnibus eum animum ego non imputo, omnes tamen, qvi cum iratis in pacta coeunt, ut conventorum synceritatem observent aut confirment, sine cujusqvā injuriâ admonentur. Injuriæ enim reus non est sibi cautus, ne promissis illaqvetur. Cum reformidanda sint fidei illinimenta his, qvi rebellionis conscij meruerunt, qvod remittitur, tum et ijs, qveis suâ vel publicâ conscientiâ innoxijs id crimen superiorum existimatione imputatur. Culpa & reatus opinio apud potentiores ex æqvo oneri & periculo sunt. Tam metuendi, qvos læseris qvam qvi se læsos putant. Idem dolor, idem animus. Nec æstimant veritatem qvi contrà pervicaciter opinantur aut persvasi sunt. Vivitur agiturq; in hoc orbe opinionibus, easq; non minus vereri oportet qvam qvæ revera subsunt.

Cautiones Amnestiæ plures sunt, sed non omnes perinde tutæ, nec semper paciscentib9 accommodæ. Prodest aliqvid ad securitatem horror, qvem acta in sangvinolento theatro belli tragœdia

exhi

exhibuit. Qvi si tam altè incussus sit, ut martij furoris meminisse tædeat, invisam reddere solet memoriam causarum & recrudescentium turbarum cupiditatem. Sed ubi minus ad terrorem qvam vindictæ libidinem exstimulat, invalidum continentiæ vinculum est, qvod ex ejus, à qvo metuitur, arbitrio dependet. Sub priscâ simplicitate fides sanctissimum humani pectoris bonum pactorum constantiæ sufficiebat. Ignota erant assecurationum genera. Sed postqvam perrupit pudorem perfidia & cum aliorum strage & periculo erecta sunt fraudum monumenta, eo seculi nostri mores degenerarunt, ut fide tanqvam fallendi tegumento aliqvando humana perversitas abutatur, ideoq; qvâ nihil vehementius rempubl. conservare & omnia humana continere debebat, vinculis & pignoribus indigeat. Primum in verbis & formulis qværitur. Nec imprudenter, qvando de summâ reipubl. statu religionis, fructu libertatis aut cujuscunq; rei in precio habendæ tractatur, de singulis vocabulorum apicibus itur in consilium. Nihil tam cautè & circumspectè dici aut concipi potest, qvod speciosam perjurio latebram non aperiat, ubi scriptura pluris æstimatur qvam promissi fides. Sæpe magnæ calamitates exortæ sunt ex malitiosa verborum interpretatione. Ut minime improbanda sit illorum sollicitudo, qvi pro publicâ salute pacta firmari volunt formulis ad accuratissimum normam

exactis & solennibus, qvorum omisſio controverſijs cauſam dare ſolet. Nec verba & voces denegat, qvi rem ipſam fideliter præſtare meditatur. Circa ſyllabas & vocabula difficilem ſe præbens, longè videtur abeſſe â propoſito conſentiendi. Sed qvæ tam arduis magniſq; negocijs apta, ex præſcripto præceptorum non traditur. Qvidqvid materia pacti & ſtatus temporum exigat, provido contrahentium judicio relinqvendum eſt. Prævalent brevia, aperta, rotunda, dummodo exprimendæ menti ſuffectura ampullis & ſeſqvipedalibus, qvæ in ſpeciem ſerviunt, rem non juvant ſed plerumq; implicant. Simplicius concepta eo magis indolem veritatis reſipiunt & certius pignus ſunt ad ſtabiliendam rei ſynceriter geſti fidem. Sicuti qvod in conventione non exprimitur, extra ſecuritatem relinquitur, ita qvod excedit ad captionum ampliorem occaſionem proficit. Id vero operæ precium ſingula quantum licet, ſpeciatim definire, & licet vel generalis placeat amneſtia, eam tamen tam circumſpecte in chartam redigere, ut limitationum cautelæ præoccupentur. Ex generalitate raro deeſt ambiguitas & quia nihil tam univerſaliter ſcribi poteſt qvod non exceptioni obnoxium putetur, inſidioſis ambagibus & ſubtilitatibus ad excipienda, qvæ aliam rationem aut diſſimilitudinem habere videntur, locus remanere ſolet. Præſertim id metuendum ijs, qvæ ſub communi cauſâ ſpeciali quadam nota digna videntur,

tur, qvæ generalibus transactionibus non comprehendi nisi expressa existimatur. Cum igitur omnis definitio periculosa sit, tum hic præprimis ubi neglectis certa sunt damna.

Etsi verò ex re est verbis prospicere, sola tamen infirma stabilitatis vincula sunt. Facetus qvidem autor scripsit, Totus orbis exercet Histrioniam, certè nusqvam magis scenæ & populo servitur, qvam in actionibus magnatum, ubi qvo plus pompæ & ostentationis apparet, eo minus solidæ veritatis subest. Speciosa verbis, re inania, qvanto majore libertatis imagine teguntur, tanto eruptura in infensius servitium. Magnificæ in literis pollicitationes, (scripsit alius,) nunqvam efficient, qvin pateat regressus ad pœnitentiam ac restitutio in integrum qværatur, si non beneficio Prætoris aut rescripto Cæsaris, tamen eà lege, qvæ apud potentiores sacrosancta habetur, ut in summâ fortunâ id æqvius melius censeatur, qvod validius & specie rationis approbatur. Res ergo verborum involucris denudatæ ponderandæ, ut non tam qvid dictum qvam qvid impetratum æstimetur. Ea demum certa oblivionis securitas est, qvæ non in solis chartis & litium instrumentis, sed tum mente promittentis ad pacta conventa religiosè servanda compositâ, tum proprijs viribus nititur. Hæ tutissima fidei pignora & idonei diuturnitatis sponsores sine qvibus intuta per se probitas est. Laudatur sed

premitur. Inter impotentes & validos falsò qviescas. Ubi manu agitur, modestia & probitas, nomina superioris sunt. Olim dictum & non semel usu compertum est, inermes provincias cujuscunq; servitio expositas in speciem belli valentioribus cedere, utut insontes & à bello alienas. Ex viribus omne honestis consilijs robur, sine his qvamvis egregia invalida sunt. Tam ergo ad fidelitatem Amnestiâ opus est, ut tuendæ pacis remedia relinqvat integra, qvam ut belli incendium exstingvat. Sistat sedetq; arma, non demat. Exermis pax intuta, qvia juri & arbitrio potentioris subjacet. Nudatis qvippe præsidijs, omnia fiunt opportuna insidijs, qvibus ad exerendum inexplebile odium nihil deesse potest præter occasionem aut prætextum. Sicut autem bellum geritur ut pax habeatur, ita pax haberi debet, ut contta belli metum secura certaq; sit. Domi in excubijs maneat defensio, & cum opus fuerit in promptu injuriarum propugnatio. Foras per fœdera, affinitates, amicitias & mutuarum necessitudinum communicationes præparantur & servantur seqviorum temporum præsidia. Ut qvi suæ non sufficiunt tutelæ, contra metuendas adversitates securitatem suam illigent oportunitatibus aliorum, qvos tam refert vicinos non opprimi qvam se non impugnari. Qvam prudenter ea proprij interesse necessitudo pro suâ salute à multis qvæsita & parta, qvam utiliter terrori in alios, adjumento sibi

ſibi ab ijſdem uſurpata ſit, qvam inviolatæ per hoc conſilium conſtiterint contra hoſtes potentisſimos etiam modicæ reſpubl. ex hiſtoriarum monumentis deducere hic locus non admittit. Habent ea exemplorum copias nec præſens ævum ijſdem caruit. Ea firmamenta qvi paci per pacem dempta cupit, qvia qvæ ſibi innoxia, alteri ſecura non patitur, nimium inſidioſæ Amneſtiæ revelat. Non poteſt non videri eliminatum bellum, ut tutius decipiantur inermes. Fallitur qvi ſecuritatem ab eo ſibi polliceatur, cui indemnia ſecuritatis remedia ſunt inviſa. Deſiderium innoxiam cuſtodiam qvietis denegantium certisſimum ſimulatæ & per occaſionum licentiam evertendæ pacis argumentum eſt. Si qvid hic ſiniſtra manus concedit, cave ne dextra potentior ſtatim vel paulò poſt eripiat.

Diſpiciamus tandem qvid præſtet ritè juſtèq; compoſita Amneſtia? Si vera, ſi ſyncera, ſi ſecura, lenit ſopitq; qvidqvid belli adverſitas ſuſcitavit & reliqvit, pacemq; reducendo bellum non modo finit, ſed ita poſt memoriam ſeponit, ut pro pace conſtantius ſervandâ bellatum nunqvam fuiſſe, fingi crediq; velit. Hinc duobus præcipuè officijs defungitur. Alterum ut præteritas armorum injurias penitus aboleat, Alterum ut per Martis ſuperioritatem deperdita aut immutata in priſtinum, qvem ante ſuſcepta arma habuerunt vel juſtè habere debuerunt, ſtatum reſtituat. Expedit ſingula expreſ-

ſius inter articulos pacis definire, poſtqvam exorta eſt inter publici juris diſputatores ea diſceptatio, an Amneſtia generatim ſancita utrumq; contineat? Nec ſine rationis imagine diſcrimen oblivionis præteritorum atq; reſtitutionis in integrum velut diverſi objecti prætenditur. Diſtingverem & ego, ſi in tali verſarer negocio, ubi magis vocum uſui & proprietati qvam utilitati publicæ conſulendum eſſet, Sed cum nec paci apta ſit amneſtia, qvæ fontem belli per æqvitatem reſtitutionis non obſtruit, nec intentionis ſynceritatem ſuſtinere qveat compoſitio niſi emendatis qvæ bello alterata reſtitutionem patiuntur, nec tranqvillitas ſperanda, ubi cauſa doloris, acerbitatis, invidiæ & odiorum manet ſuperſtes, ipſa pacis neceſſitas poſtulat ſic oblivionem ſanciri, ut non relinqvantur, qvæ ſempiternam refricent ſerventq; memoriam. Redire oportet ad priores dominos armorum iniqvitate amiſſa, ſi fida inter tranſigentes reverti debet amicitia. Hæc negat, nec patitur perverſa rerum dominia, alienas poſſeſſiones, cum alienis damnis lucra, ex aliorum bonis ſpolia. Et qvia pro iſtâ pax ſtabilitur, qvodcunq; exigit ab amico officium, id pacti jure poſt compoſitionem præſtandum eſt, licet verba de eo nominatim nihil ſonent. Mens continere cenſetur, tranqvillitatis cauſa efflagitat. Privatis lugubre eſt & perennis litigiorum materia, in ijs domibus, ubi vixit parens, crevit amittens, avulſas videre

majorum imagines, qvid demente magnatum præsumi decet præterqvam perpetuum in seram posteritatem odium & amissa recuperandi flagrans desiderium? Johannes Fridericus Saxoniæ Elector cum de Electoratu sibi adempto Mauritium in foro Augustano magnâ pompâ investiri cerneret, in hæc verba erupisse fertur: Ecce qvam magnâ lætitiâ Mauritiani exultant de dignitate, qvâ me præter jus & æqvum spoliarunt. Faxit Deus, tam pacatè & feliciter imposterum utantur, ut mei meorumq; operâ nunqvam deinceps egeant. Is sensus omnium communis, ut cum rebus suis, qvibus sponte non cedunt, odia hæreditaria transferant, nec qvisqvam suum invitus velit esse apud alium, nisi cum jugi indignatione. Frustra sub hac laboratur de Amnestiâ, ubi duris legibus & non redditis amissis tanqvam pignoribus in adversitates præoccupati confirmantur animi. Deleat itaq; ista præteriti temporis offensas, ut restituat, qvæ ob offensas existunt apud alios. Restituat amissa ne injurias & odiorum materiam non possit abolere.

Thuan lib. 5. Histor.

Latissimè verò effectus suos extendit ejusmodi sanctio. Efficit ex hostibus amicos, ex bello pacem, ex turbis qvietem, pro vi reddit justitiæ ordinem, sicq; delet hostilitatem, tanqvam amicitiâ nunqvam interruptâ: sic reducit amicitiam ut nihil actuum hostilium ejusdem integritati qveat evenire impedimento. Inde ad vigorem redeunt amicitiæ jura, secu-

ſecuri ſunt ſocij, qvorum auxilijs arma ſuſcepta, & geſta, non revocandi in pericula milites, qvorum manibus bellatum; qvod ignoſcitur dominis nulli luunt miniſtri vel qvi alieno nomine egerunt. Exiſtimantur omnes injuriæ ſub oblivionis tumulo ſepultæ, ut nullus dolor exprobet, nullum forum vindicet, nulla actio revocet, nunqvam memoria recolat, nihilq; fiat, qvod tranqvillitati omnium & ſingulorum reſiſtat. Omnis ex bello prætextus cum bello exſpirat, nec juſta agendi excipiendi, poſſidendi, lædendi cauſa ex his, qvæ unice per bellum orta, facta vel omiſſa fuerunt. Qvocirca ſalvæ & incolumes ſinè moleſtiâ & injuria redduntur poſſeſſiones. Reſuſcitatur vindicatio bonorum, qvæ belli vel partium odio capta aut fiſco adjudicata fuerunt, contra qvoſcunq; poſſeſſores. Exhæredationes, renunciationes, excluſiones & qvæcunq; diſpoſitiones ob belli adverſitates factæ nullius ſunt momenti, ſed irritæ tanqvam nunqvam in actum deductæ. Tempora qvæ ab exordio motuum ad finem uſq; præterfluxere ad inducenda præſcriptionis aut uſucapionis præjudicia non numerantur. Si qvæ ſententia judiciaq; reddita in contrariarum partium aſſeclas, vel tanqvam contumaces, qvia comparere non potuerunt vel ut reos, qvia adverſarijs adhærebant ſive civilis ſive criminalis cauſa iſtis anſam dederit, intelliguntur reſciſſa nec unqvam rei judicatæ vim aſſecuta. Redit commer-

ciorum,

ciorum, negociationum, navigationum secura libertas. Maria, flumina, itinera ab incursionibus grassationibusq; imposterum servanda libera. Reviviscunt omnia jura, immunitates, privilegia, qvæ per arma fuerunt exstincta vel impedita. Exspirant bellorum necessitates & onera. Si qvæ vectigalia, tributa, præstationes ob armorum erogationes cæperunt, cum suâ causâ intereunt. Desinunt repræsaliæ, manus injectiones, arresta, pignorationes cæteraq; austera cogendi remedia nisi qvantum ex communis & sub pace observandi juris præscripto licita. Impensæ bello factæ censentur remissæ; si qvæ damna bellantibus eorumve subditis illata, hoc menti transigentium convenit, ut neuter injuriæ damnetur; pax reqvirit, ut nulla superstes maneat repetitio. Alia qvi cauta & servanda cupit, expressis articulis excipiat necesse est sua desideria à communibus pacis regulis. Ubi non liqvet exceptio, recensitis effectibus suis prævalet generalis & expresse non limitata Amnestia.

In dubium vero, imò & ad inficias vocant non pauci eam potestatem privatorum damna & injurias remittendi. Innoxij qvamdiu sub pulvere Scholastico suarum speculationum imagines continent. Inepti autem magnis negocijs, qvæ post motus publicos rarò sine subjectorum incommodis finem publicè salutarem asseqvuntur. Prætereà digni, ut ex bellorum calamitatibus pacis bonum æ-

perari qveant cedere & velificari coguntur, ut prius respubl. salva sit, deinde leges. Unde bonus Imperator perito navis gubernatori æqviparatur. Non secus atq; hic gravissimis tempestatibus, ubi reflantibus ventis rectum cursum tenere non licet, obliqvâ velificatione tandem qvo velit, devenire contendit, sic illum decet cogentibus rerum angustijs ingentes demittere animos, de jure suo concedere & ob ingruentem vim majorem eam deligere partem, ad qvam convertit inclinatio temporum, ratio concordiæ legumq; omnium potentissima Necessitas. Hæc enim suprà legem est, omniq; legi parit exceptionem, ut omne justum fiat, qvod est inevitabile, nec sine omnium periculis corrigendum. Hinc condonando pacis causâ privatas injurias minime qvod injustum perpetratur, sed superior constitutio derogat inferiori, qvæ cum exceptione superioris semper intelligenda. Non deest incommodis precium, qvando recuperatur qvod inæstimabile & qvo uno cætera omnia in terris salva sunt. Si qvid ex iniqvo habet pactio, id contra singulos utilitate publicâ rependitur. Nec qvod per imperantes concluditur, alio loco censendum erit, qvam tutorum acta vel qvæ ab utili negociorum gestore expediuntur, qvorum gesta rata decet habere qvos concernunt, utut adversi fuerint exitus, modo bonâ mente cum ratione & justo modo suscepta & perfecta. Sed qvæ intentio salutarior ac

qvæ ad vitæ, publicæ privatæq; securitatem dirigitur. Ubi quies redit, præstantissimo potimur bono, & extrema malorum evadimus. Cui felicitati pensandæ nulla pecunia sufficit. Qvi secus sentiendo præterita singulorum damna sub imagine æqvitatis ad hos tractatus tam scrupulose adferunt, jus belli & pacis, summæ majestatis reservatum, inter jura populorum absurdè transferunt & qvod rationabili necessitate ad summa capita relatum ad placita sensusq; privatorum detrudunt. Sicut è contra qvi ultrâ pacis & salutis publicæ necessitates ista sententiâ in perniciem miserorum subjectorum abutuntur, conscientiam, dignitatem & honestatem, qvæ justitiâ conservantur & imperij autoritatem continent, in irreparanda damna præcipitant, qvæ verborum fuco solisq; prætextibus sanari neqvicqvam laboratur.

Salutaria juxtà ac constantia sunt hæc Amnestiæ opera ex fidei sanctimoniâ. Vir bonus sicut initia belli suscipit invitus, extrema non libenter perseqvitur, ita occasiones pacis, qvò ejus causa bellum gessisse appareat, semper prospectat, oblatas sponte amplectitur, initam inde amicitiam summâ religione & fide tuendam putat. Ad hanc tanqvam interpretem & judicem recurrendum, si qvæ posthæc incidit dubitatio, uti nunqvam istâ carent humana negocia. Etiam cum integra omnibusq; numeris absoluta, per interpretationum qvæsitos

colores infirmitatibus innumerandis obnoxia. Cætera arbitria inter hos, qvi præter Deum & ensem superiorem non agnoscunt, aut alienis sententijs vivere dedignantur, sine fide inania sunt & rarissime justi speciem contra speciosa & amphidextræ ratiocinationis felicitatem assequuntur. Qvæ enim iniqvitas tanta cui prohdolor non prætextus reperiâtur? Qvæ tanta hominum sapientia, cui non multoties comptis verbis & exqvisito argumentorum fuco ad errores illuditur? Qvæ æquitas contra potentiæ titulos valet? Ubi manu agitur, justitia & probitas nomina superioris sunt, Fides anchora imbecilliorum. Qvæ nisi firmo innixa solo, cætera validissima licet navis instrumenta in perpetuo fluctuum & turbinis periculo versantur, nihil extra ista valitura. Cum vero justitia in cæteris sui partibus plerumq; aliqvid obscuri & disputationibus subjectum habeat, Fidei vinculum per se manifestum est, ideoq; usurpatur ut negocijs dematur obscuritas. Nullum idcirco interpretandi genus in hoc negocio præstantius, qvam ut omnibus captionibus, subtilitatum gryphis, indagationum scrupulis, mentium tortillis prædominetur transactionis propositum atq; finis. Et cum nemo non pacem fidam, synceram & permansuram voluisse præsumatur, nec qvisqvam aliter intentionem suam declaraturus sit, qvidqvid ad illius constantiam necesse vel ex usu foret, in verbis, mente & recessu, per fidei regulas colli-

colligi statuiq; oportet. Latior hic jure fides est. Istud verba pro norma adhibet: Hæc rem ipsam sequitur & licet verba cessent, tranqvillitatem tamen ultra extendit, & inviolabilem sancit. Ideoq; cum aliqvando ex meri juris axiomate pacem juste infringi aut restringi videatur, fidei æqvitas nihil justum censet, qvod paci adversum ac mavult negligi, aut lenioribus remedijs curari qvam pacem violatam dicere vel eam ob causam violandi jus asserere. Unde & illa solum habetur congrua dubiorum interpretatio, qvæ pro pace latissima, in ijs qvæ ex bellorum adversitatibus supersunt vel nascuntur constrictissima est. Favor rerum ad explicationum dimensiones semper transfertur, sed qvid communi populorum qviete favorabilius? Reipubl. causâ & pro salute hominum cunctæ dispositiones extendunt intellectum. Sed qvid pace salutarius, sine qvâ nihil incolume? Odia decet restringi ab interpretantibus; turbis autem nullâ res odiosior, qvæ vitam, qvâ mortalitati nihil carius, sui amatoribus reddunt odiosam. JCtis qvidem ea familiaris contractuum distinctio, bonæ fidei sint an stricti juris, ex qvibus variant interpretandi genera. Sed privatis illa accommoda negocijs. Principum & diversorum populorum conventiones supra illam juris civilis subtilitatem sunt. Communi Gentium jure inter illos agitur & judicatur, omnesq; eorum contractus bonæ fidei

esse ex ratione sentimus. Ista enim exuberare debet apud hos qvorum fides & dignitas publicæ privatæq; salutis vinculum & pignus est. Qvanto gravius sub istius fiduciâ decipi, tanto fædiores tantâq; autoritate minus dignæ placitorum cavillationes. Nec enim à dignitate superiorum qvidqvam magis alienum excogitari potest, qvam fidem illorum, qvâ continetur major illa gentium societas, reipublicæ salus & singulorum securitas, ad solennium formularum angustias redigere, & ut infidis esse liceat, per vocabulorum argutias obtegere. Tanqvam qvi pro subsidijs publicarum necessitatum legibus soluti sunt, revereri cogerentur regulas Grāmaticas citiusq; à pace & fide discedere, qvam isti condonare pacificationum largissimos præter verba sensus. Qvi instillant fallendi artes, idipsum faciunt qvod docent, pessimeq; primum conscientiæ, deinde & famæ Principium consulunt, perniciosissimè publicam imperij salutem atq; dignitatem ludibrio & vilitati prostituentes. Sed abrumpto telam, qvam pro honore pacis texui, hoc unicè optans, ut ad amorem studiumq; reducendæ integræ & non fucatæ tranqvillitatis proficiat opella, qvâ vel atomum adjecisse rectis hominum desiderijs non potest non inter lucra ab honestâ mente reputari.

INDEX

Qvia per incuriam paginis non additi numeri istas literis oportuit denotare, Majusculæ vere indigetant chartam; minores chartæ latus, numeri quaternionis seriem.

Poten-

FINIS.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0017760

